
Bibliothek d. Ev. theol. Seminars
Herborn/Dill





Quatuor cicli primacionum. · i · ii · iii · iiii ·

KL Januarius habet dies · 31 ·
Luna · 30 ·

Quantitas diei · Altitudo solis
hore · minute · gradus · minute

19 6 30 14 3 A Circumcisio domini. Dominica hora xi. · Duplex · 8 18 18 47
19 b 2 Octava sancti stephani · iii · lectiones · 8 20 19 6
8 8 8 11 c 3 Octava sancti johannis. Incipit quinto ciclus iii. xi. anno · iii · lectiones · 8 21 19 14
10 7 ... 22 d 4 Octava innocentium · iii · lectiones · 8 22 19 24
20 19 e ... Luna oritur. · 8 24 19 34
19 11 ... 8 f 5 Epiphania domini · Duplex · 8 26 19 44
28 16 9 g 6 · 8 29 19 56
16 A 6 · 8 31 20 7
3 20 12 4 4 b 4 Delfini oritur · 8 32 20 19
16 18 c 2 Pauli heremite · novem · 8 36 20 31
1 13 d 3 · 8 38 20 43

1	2	3	4						Februarius habet dies 28. Luna 29.		Quantitas diei		Altitudo solis	
Quattuor cicli primacionum											hore	minuta	gradus	minuta
11	5.	8	12.		d		kl	B	rigide virginis.	Initium oct(?) signum leonis iiii. le	9	20	16	13
p	10.	p	11	e	2	iiii	P	urificatio sancte marie virginis. Luna prima festum.			9	23	17	21
11.	8. d	d	13. d.	19	f	3	iii	B	lasii episcopi et martiris. Delfin occidit iii. le		9	26	17	2
d	12	16	9	8	g	2	ii		hora viii. Pd stat		9	29	17	11
7. m.	m	m	11		A	nonas		A	gathe virginis et martiris.	Ganimedes oritur	9	57	18	21
16. 8	13	5.	8.	16	b	8		M	edasti et amandi		9	56	18	2
16.	8	8	18	5	c	7					9	59	18	11
	9	1			d	6					10	3	19	23
1. 5. r	11	12.	6. r	13	e	5					10	6	19	3
17	r. 10	r. 3		19. 2	f	2		S	colastice virginis.		10	9	19	12
F	F	F	F		g	3			Boetes oritur.	Sol in piscibus	10	13	20	15

Pro pace

Da pacem domine in diebus nostris:
quia non est alius qui pugnet
pro nobis nisi tu deus noster. V.
Fiat pax in virtute tua et
abundantia in turribus tuis.
Oratio. Deus a quo sancta desi-
deria recta consilia et iusta sunt opera
da servis tuis illam quam mundus
dare non potest pacem: ut et corda
nostra mandatis tuis dedita et hosti-
um sublata formidine tempora
sint tua protectione tranquilla. Per
dominum nostrum.

Pro peccatis

Qui cognoscis omnia occulta a
[illegible]
peccatis meis munda me Christe me
percutiens plagam, peccaui: miserere
mei saluator mundi. Ps. Domine
non secundum peccata nostra facias
nobis. Neque secundum iniquitates nostras re
tribuas nobis. Coll.

Parce domine parce peccatis nostris et
quamvis incessabiliter delinquentibus continua pena
debeatur, praesta quaesumus: ut quod ad
perpetuum meremur exitium, ad cor
rectionis transeat auxilium. Per
dominum nostrum.

CAPITA INSTITVTIONIS AD PIETAtem, ex sacris scripturis & orthodoxa Catholicæ Ecclesiæ doctrina & traditione excerpta, in usum pueritiæ apud diuum Gereonem, Coloniæ Agrippinæ.

Per D. Ioannem Gropper Doctorem, eiusdem Ecclesiæ Scholasticum.

Aeditio altera, per autorem aucta & recognita.

Coloniæ ex officina typographica Iasparis Gennepæi. Cum priuilegio Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis.

M. D. XLVI.

QVAE HVIC Libello insunt.

IOANNES GROPPER LL. DOctor, Pio Lectori.



ISERtus Iuuentutis, quæ hac uere deplorata tempestate, per uarios hæreticorũ libellos (qui sub Catechismorum titulo paßim sparguntur, & identidem noui prodeunt, & circũferuntur) misere corrũpitur, hunc libellum succisiuis aliquot horulis, uix tantum nactus ocij a grauibus & continuis occupationibus meis, ex diuinis scripturis & orthodoxa Catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ doctrina, traditioneq́; excerpsi & conscripsi. Quẽ pueritiæ ludi literarij apud Diuum Gereonem (cuius Ecclesiæ Scholasticus uocor) peculiariter nuncupaui:

habeat illic Ludimagister, unde pueris curæ suæ per me commissis & concreditis, lac matris Ecclesiæ (quæ columna ac firmamentũ ueritatis est) depromat & propinet, simplicesq; ac rudes animos ad solidum Catholicæ doctrinæ cibum quandoq; capiendum formet ac præparet: ad quem sumendum nisi in corrupto stomacho salutariter ueniri non potest. Non ueto interim quo minus alij quoq; Didascali in hac urbe sancta & catholica hoc libello (si suis ludis literarijs conuenire etiam uidebitur) utantur: modo tamen nihil eius quod ad sententiam attinet immutent, ac sciãt copiosam horum omnium explicationem petendam esse ex Enchiridio seu Institutione doctrinæ Christianæ, anno partæ salutis 36. edita in Concilio Prouinciali Agrippinensi: cuius in Dei nomine bene & feliciter cœpti, salutarem

pro

progreſſum ille omnis boni hoſtis, & mali autor, ſator & incentor diabolus, cum indicibili huius inclytæ diœceſeos detrimento poſtea (quod ualde dolendum eſt) impediuit. Sin uero alijs pueritiæ formatoribus hic libellus minus arriſerit, nihilo ſetius ipſe instituto & deſiderio meo (q uni ſcholæ potiſsimum eum dicaui) abunde ſatisfactum putauero. Vtantur illi melioribus: ſed hoc (oro) ante omnia cogitent, hoc curent, ne quid temere iuuentuti proponant, niſi quod compertum habeant ſanæ & Catholicæ doctrinæ per omnia reſpondere: memores q̃ graue ſit unũ de puſillis iſtis corrumpere qui in Chriſtũ credunt. Neceſſe (inquit Dominus) eſt ut ueniant ſcandala; ſed uæ homini per quem ſcãdalum uenit. Expedit enim ei ut ſuſpẽdatur mola aſinaria in collum eius, et demergatur in profundũ maris. Quan

ta ergo pœna putanda est manēre eos, qui rudes adhuc & simplices iuuentutis animos, cum bonis literis, tum sacrosanctæ Religioni nostræ imbibendæ consecratos, cōtra præstitā Deo & hominibus fidē, peregrina & peruersa, seu manca saltem & truncata doctrina, qualis hæreticorum est, uitiant ac uiolant? Quam certe pœnam nō aliter uitabunt, nisi elementa ista, ad receptum omnibus seculis intellectū & præscriptum, seu ut Epiphanius uocat, formam & carachterem Ecclesiæ Catholicæ, suis discipulis contradant, optimoq; liquore recentes testulas imbuant ac impleant, hæreticorum autē (a quibus hæc opella nostra haud dubium ridebitur) sannas & ronchos, imo (ut quod sentio dicam) insanias & furores nihil moror: uti neque impudentes eorum calumnias & mēdacia, quibus in me hostiliter inuehūt de-

bac-

bacchatur q̃s. Quid enim aliud poſſunt homines corrupti mente, reprobi circa fidem, q̃ reſiſtere ueritati, & exprobrare pijs? Sed ultra non proficient: Inſipientia enim eorum manifeſta facta eſt, imprimis Inuictiſſimo & Religioſiſſimo Imperatori noſtro Carolo, (qui mihi ſane uiſus eſt inter me & illos iam ſatis aperte iudicaſſe) et breui manifeſtior fiet omnibus, niſi quos diabolus plane cæcatos & captiuos iamdudum tenet. Hæc ad te Lector præfari uolui, ne neſcires quo inſtituto ad hæc rudimenta concinnanda deſcenderim. Vale in Chriſto, quem pro me ut liberer ab importunis & malis hominibus, mihi mala cogitantibus, exora.

CATHOLICAE ET Apostolicę fidei Symbolum.

S. Petrus 1. CRedo in Deum patrem omnipotentem, creatorem coeli & terræ.

S. Andreas. 2. Et in Iesum Christum filium eius unicum, dominum nostrum.

S. Iacob9 maior. 3. Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine.

S. Ioãnes 4. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

S. Thomas 5. Descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis.

S. Iacob9 minor 6. Ascẽdit ad coelos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.

S. Philippus 7. Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

S. Barthomeus 8. Credo in spiritum sanctum.

S. Mattheus 9. Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem.

S. Simon Cananę9 10. Remissionem peccatorum.

11. Car-

11 Carnis resurrectionem. S. Iudas Thadæus

12. Et uitam eternam Amen. S. Mathias.

Expositio Symboli.



REDO IN DEVM. Abrenuncio Satanæ, & omnibus pompis & operibus eius, & CREDO vnum verum esse Deum, spiritum ęternum & immensum, qui oculis corporeis videri non potest, nec vllo intellectu comprehēdi vel explicari. Nec hoc tantum, sed & huic vni Deo credo, verissima credēs quæcūq; ille in sacris suis scripturis & oraculis tradidit & reuelauit. Imo in ipsum quoq; DEVM credo, hoc est, fiduciam & spem meā ex affectu dilectionis (quo in eum tendo) in eo repono & colloco. Credo, inq̄, hunc Deum, vnum esse in substantia, trinum vero in personis: Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.

Augusti. de symbolo ad catechu. libro 3. Credere Deum. Ioan. 4. 1. Timo. 6. Deo. Ioan. 5. In Deum. Augustin. Tracta. 29. in Ioan. S. Trinitas Vnus Deus.

PATREM OMNIPOtentem, creatorē coeli & terrę.

Ioan.1. PATREM, qui ab æterno filium genuit sibi consubstantialem, coæternum, & in deitate coæqualem, per quem cooperãte spiritu sancto, q ex vtroq; procedit, SVA

Ioannis 15. OMNIPOTENTIA, qua quæcunq; vult, potest, ob suã ineffabilem bonitatẽ declarandã, ex nihilo CREAVIT COELVM ET TERRAM, & omnia quæcunq; Cœlo Terraq; continentur, visibilia

Creatio. & inuisibilia: Et inter alias suas creaturas, me quoq; ex corpore & animo constantem hominẽ condidit, quem exterioribus & interioribus sensibus, & intellectu, ratione, & voluntate mirifice donauit & decorauit. Credo itidẽ illum, me (quẽ condidit) sua gratuita

Conseruatio. bonitate, qua conseruantur & sustentantur omnia, seruare, & per angelos suos bonos cu-

Matth. 18, Hebræ. 1. stodire, & vniuersas creaturas mihi (modo fideliter ei inseruiam) in ministerium addicere. Credo deniq; illum tam spiritualia, q̃ cor

Roman. 8. poralia bona, quibus corpori & animo opus

Matth 7 est, mihi in se credenti, affatim suppeditare. Vnde quoq; vicissim me totum, meaq;, illi à quo accepi omnia dedico, & consecro, suæq;

diuinæ

diuinæ voluntati permitto, ſciens me in manu eius eſſe, & ab eo, ſi fidelis permanſero, ſiue viuam, ſiue moriar, ſeruandum, ſine cuius voluntate ne capillus quidē de capite meo cadere poteſt.

ET IN IESVM CHRIſtum filium eius unicum, &c.

CREDO ET IN IESVM CHRISTVM, qui eſt verus cũ patre Deus, ab æterno genitus à patre, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. VNICVS NATVRA FILIVS, cum nos ſola gratuita adoptione filij Dei in illo facti ſimus, qui natura fuimus filij iræ. Credo, inquam, in hunc vnicum filium, per quem facta ſunt omnia, & per quem omnia conſiſtunt: quem merito DOMINVM NOSTRVM voco, non modo ratione Deitatis, vt eſt dominus omnium creaturarum, ſed & quod homo factus, nos perditos à peccati, mortis, & diaboli tyrannide mirabili conſilio redemerit, & ſibi acqui

Filius natura: Nos adoptionis. Colloſſ. 1.

ſierit:

fierit: non auro quidem vel argento, sed pre cioso sanguine suo pro nostris & totius mun di peccatis innocenter effuso. Ipse enim propter nos homines, & propter nostram salutem nostri misertus, videlicet qui carnali con cupiscentia in peccato originali (hoc est, in carentia originalis Iustitiæ) per Adæ primi parentis nostri delictum in nos propagato nascimur, & nati in omne malum donec rege neremur proni, atque adeo serui peccati, & perinde æternæ morti addicti sumus: descen dit de coelis, nō locali loci mutatione, sed ineffabilis suæ gratiæ & charitatis in nos exhi bitione, & manens quod erat, assumpta humana natura, homo factus est, vt nos in se credentes filios Dei redderet. CONCEPTVS DE SPIRITV SANCTO, sine concupiscētia, & NATVS EX purissima VIRGINE MARIA, sumpta carne, ex eiusdem virginis purissimis sangui nibus, vt nobis fieret apud patrem impollutus Pontifex, qui pro nostris & totius mundi peccatis satisfacere, & nostras sordes sua sanctissima puritate abluere posset. PASSVS

Peccatum originale.

Libertas arbitrij ad malū ante regenerationem.

Redemptio

Roman. 1. Galat. 4.

Hebræ. 7.

SVS (proinde) SVB PONTIO PILATO, CRVCIFIXVS, MORTVVS, Vt ipſe pro omnibus nobis, qui æternæ morti, ob primi parentis noſtri delictum in nos deriuatum, ſceleraque noſtra propria, poſtea addita, obnoxij eramus: mortuus mortem æternam aboleret, deleto per hanc ſatisfactionem ſuam (gratiſſimum patri ſacrificium) chyrographo mortis, per Adam debitorem in nos hęreditaria ſucceſſione tranſmiſſo: quod cum eſſet contrariũ nobis, è medio ſuſtulit, affigens illud cruci, quando videlicet ſui ſanctiſſimi ſanguinis effuſione, ſe illud deleuiſſe declarauit. ET SEPVLTVS EST, Vt ſe vere mortuũ pro nobis oſtenderet, & vt nos gratia, & imitatione eius, per fidem ſpiritualiter cum illo ſepeliremur, in mortem veteris hominis, quo per ſpiritum eius regenerati, cum eo in nouitatẽ vitæ conſurgeremus, quod immerſio & reductio ex aqua in Baptiſmate ſignificat. Qui & in anima, corpore in ſepulchro in tertium vſq; diem relicto, DESCENDIT AD INFEROS, Non vt illic aliquid pateretur,

Abolitio, ſeu remiſſio peccatĩ per mortẽ Christi. Coloſſ. 2 Roman. 5

Roman. 6

1. Petri 3

Ephes. 4.

Hūc triumphū multorum sanctorum patrū, qui dormierāt, resurrectione & apparitiōe in sancta ciuitate post resurrectionem suam apertissime demonstrauit.

Matth. 27.
1. Petri.

Iustificationis ratio.

Roman. 5.
Roman. 6.
1 Corin. 6.

Remissio pctōrum p fidē: innouatio cordis per charitatem.

Ioan. 1

Act. 1.
Ephe. 4.
Heb. 6
Ephe. 3.
Hebræ. 3.

teretur, sed vt spiritus piorum patrum, qui in eius aduentum crediderunt liberaret, captiuitatemq; captiuam duceret, & de diabolo potentissime triumpharet. ET TERTIA DIE RESVRREXIT A MORTVIS, propter iustificationem nostram, vt qui credimus eum pro peccatis nostris mortuum, & deuicta morte, inferno, & diabolo, rediuiuum, & amodo non esse moriturum, hac fide in spem viuam regeneremur, & accepto quo ille resuscitatus est spiritu sancto, etiam nos in nouitatē vitæ transformemur, & ita adepta remissione pctōrū nostrorū, & innouatione interioris hois per charitatem, per eundem spiritū in corda nostra diffusam, iustificemur, vt nō pereamus, sed vt in illo vincentes peccatum, mortem, infernum & diabolum, vitam æternam cum eo habeamus. ASCENDIT q; secūdum humanitatē assumptam, propria virtute, ad cœlos, pro nobis præcursor factus, vt nos certos faceret, si radicati in charitate confessionem fideī, & spei nostrę qua membra eius effecti sumus firmam tenuerimus, eó quoq; nos

nos virtute ſpiritus eius peruenturos, & ſublevādos, quò ille præceſſit. SEDETQVE AD DEXTERAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS, Hoc eſt, patri æqualis, pariq; cum patre potentia vniuerſa gubernat, & conſtitutus ſuper oīa factus eſt nobis perpetuus Aduocatus apud patrem, ſemper interpellās pro nobis, & impetrans nobis omnia, quæcunq; in nomine eius, & ſecundum eius voluntatem fideliter petierimus. Qui & poſt completum numerum electorum tempore deſtinato, in ea forma qua aſcendit, INDE VENTVRVS & rediturus eſt in maieſtate magna, cū omnibus angelis ſuis, iudicaturus omnes homines, tam eos quos tum adhuc VIVOS repererit, quàm ab origine mundi MORTVOS, ſed ſuæ vocis virtute, & potentia in momento reſuſcitandos, daturus his qui bona egerunt, vitam æternam: Qui uero mala, ignem æternum.

Hebræ. 1.
1. Ioan. 2
Roman. 8.
Ioan. 18.
Iaco. 1. & 4.
Matth. 25.
1. Theſſ. 4.

CREDO IN SPIRITVM ſanctum.

CRE-

CREDO similiter in SPIRITVM SANCTVM Deum, tertiã in dei-
Ioan. 17. tate personam, ex patre & filio procedentẽ,
Sanctifi-catio. & patri filioq; coæqualem, qui viuificat &
sanctificat omnia, & extra quem sanctũ est
nihil, vnde Spiritus sanctus appellatur, quo
inspirante locuti sunt prophetæ & sancti dei
homines. Qui & Ecclesiam suo beneficio
SANCTAM, non in angulo aliquo mũdi,
Lucæ vlt. sed in toto terrarũ orbe diffusam, per euan-
gelium in vnitatem fidei (quæ suum donum
est) congregauit, & quotidie colligit & con-
gregat, illuminando, purificando, & sanctifi-
cando corda omnium, qui vndiquaq; in hãc
suam coaptantur ECCLESIAM CA-
THOLICAM, id est, vniuersalem: quæ
Catholica ob id dicitur, vt ab hæreticorum
latibulis, & schismaticorũ conuenticulis, quæ
spiritu falsitatis rotantur, discernatur: cum
1. Timo. 3. Ipsa sit columna & firmamentum veritatis
propter spiritum veritatis eam inhabitantẽ
Notæ Ecclesiæ Catholicæ. Vide Vincentium Lirinensem. & nunquam deserentem, quæ ex Antiquita-
te, Vniuersalitate, & Consensione doctrinæ
& traditionis agnoscitur, Quam alio nomi-

ne

nẽ SANCTORVM COMMVNI
ONEM appello, ꝙ ſit ſocietas omnium
piorum hominum, inde ab initio mundi in
vnum myſticũ corpus ſub vno capite Chri-
ſto, per ſpiritum ſanctum arctiſſima con-
iunctione in vinculo charitatis & pacis con-
glutinata. In qua eſt talis omnium bonorũ
communio, vt credam omnium ſanctorum
bona opera & merita mihi (dum viuum eius
membrum exiſto) ſubuenire, meqꝫ defende-
re, iuuare, & conſeruare. Cęterum extra hãc,
veluti extra corpus Chriſti myſticũ, ne pro-
pria quidem benefacta, quamlibet in ſpeciem
eximia, conducere nunq̃ poſſe ad ſalutem. In
qua quoqꝫ ſola credo eſſe REMISSIO-
NEM PECCATORVM, quæ ac-
cipitur fide, per Baptiſmi & Pœnitẽtię, aliaqꝫ
ſacramenta ad hoc inſtituta. Credo quoque
CARNIS RESVRRECTIONEM,
hoceſt, ꝙ in nouiſſimo die omnes homines,
qui fuerunt ab initio mundi, quiqꝫ erunt vſqꝫ
in finem, audient vocem filij Dei, & omnes Ioan. 5
qui in monumentis ſunt, virtute & potentia
Spiritus ſancti, cum corporibus ſuis reſurgẽt,

redditurі singuli de factis suis rationẽ, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectio-
2. Corin. 5 nem iudicij. Oẽs enim manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonũ, siue malũ. Credo deniq; VITAM AETERNAM, qua beneficio Dei patris, & filij, & spiritus sancti, fruentur oẽs electi & pij, qui
1. Thess. 4 exuscitati rapientur in nubibus obuiam domino in aera, & sic semper cũ domino erũt, in sempiterna felicitate & beatitudine victu-
Psalmo 16 ri, quæ sita est in perpetua visione & fruitione summi boni. Quæ profecto quanta sit, q̃ gloriosa, q̃ plena gaudiorũ, & eorum bono-
1 Cor 2. rum, quæ Deus diligentibus se præparauit, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, cuius quoq; per gratiã Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, cui per hanc fidẽ insitus sum, me participem fore credo. AMEN. Hæc omnia quum verissima esse persuasus sim, idcirco dico AMEN, quę est uox sermonem confirmantis, & ratum fore precantis, ueluti si dicam: Ita certo fiat.

ORA-

ORATIO DOminica.

PAter noſter, qui es in cœlis.

1. Sanctificetur nomen tuum.

2. Adueniat regnum tuum.

3. Fiat uoluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.

4. Panem noſtrum quotidianũ, da nobis hodie.

5. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

6 Et ne nos inducas in tentationē.

7. Sed libera nos a malo. Amen.

Expoſitio orationis Dominicæ.

PATER.



O Clementissime PATER, qui per filium tuum vnigenitum, nos miseros Adæ filios, ex carne peccatrice, in ira tua natos, in filios adoptionis gratuita bonitate cooptasti, & Spiritum Sanctum tuum in corda nostra dedisti, in quo fidenter clamamus, Abba pater: certo & vere credentes, quod nos affectu paterno respicias. Qui es NOSTER, hoc est, omniũ nostrum, qui in te credimus, communis pater. Qui per dilectum filium tuum, in quo nos fratres esse cognoscimus, qui est caput nostrum, communem hanc orationem (quã ad te sedulo fundamus) dignatus es docere, & simul polliceri, te quæcunque in nomine eius, & secundum hanc formam, ab eo præscriptã, in oratione credẽtes, pie petierimus, nos accepturos.

Roman. 5. Ephe. 1. & 2.
Roman. 8. Gala. 4
Malach. 2 Matth. 23.
Matth. 6.
Matth. 21.
Ioan. 14.

QVI ES IN COELIS.

Qui cœli terræque conditor licet vbique sis, omnia implens, regens, gubernans, vegetãs, & conseruans, præcipue tamen in cœlis ęternam

Psalm. 138

nam maiestatem diuinitatis tuę declaras, quę alioqui cœli cœlorum non capiunt, quē ocu lis corporeis videre nemo potest, & quem ne angeli quidem comprehēdere possunt. Nos de tua bona & paterna voluntate per filium tuum certificati, vere sentiētes semper egere nos diuina tua gratia, qua nobis & æterna & temporalia beneficia, tam corporis q̃ animę suppeditentur, te suppliciter inuocantes, exoramus.

Psalm. 103
Psalmo 18.
2. Parali 6
1. Timo. 6.
Matth 6

SANCTIFICETVR nomen tuum.

Da itaq; initio sancte Pater, vt Nomē tuū gloriosum & admirabile sanctificetur, hoc est, glorificetur & celebretur toto terrarum orbe. Illumina omnes gentes, vt cognoscāt te solum esse verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum, vt abrenunciantes Satanæ, & omnibus eius operibus, te solum verū Deum timeant, te reuereantur, tibi fidant, te diligant. Et imprimis, vt nos credentes, omnia quæcunq; cogitamus, dicimus, & facimus, in nominis tui gloriam faciamus, per filium tu-

Ecclesi. 36
Ioannis 17
Matth. 4.
1. Corin. 10

 um tibi

Mat. 5 um tibi gratias agentes, vtq; per vitæ nostrę innocentiam & sanctimoniam nomen sanctum tuum, quod in Baptismo inuocatum est super nos, ab omnibus hominibus sanctificetur glorificeturq;. Denique vt destructis hęresibus, erroribus, & impietatibus vniuersis, doctrina tua cœlestis in concordia catholicæ professionis & veritatis, vbique obtineat & effulgeat. Roman. 10

ADVENIAT REgnum tuum.

Ioan 12. 14 & 16. Ephes. 2 Et cum Satan princeps mundi huius, suæ tyrannidi subactos teneat impios, & insidietur pijs, quos tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Oramus te, vt cuius regnum gloriæ, quo dominaris omniũ, ęternum & vbique est, in nos (quos regno Satanę eripuisti) regnum gratiæ & misericordię tuę venire concedas, vt in animis nostris tu solus regnes & imperes, eiectis inde carnis & mundi concupiscentijs, & Satanę præstigijs, vt tu solus nos regas, gubernes, ac ducas, ne alicubi erremus, impingamus, & labamur, vt tuo ductu

1. Petri 5 Psal. 102 Colloss. 1. Psalm. 118.

ductu & gubernatione, tandem ab huiusmodi carnis ergastulo absoluti, ex regno gratię, ad regnum gloriæ tuæ, regnum summę tranquillitatis, & omnium gaudiorum plenum, perducamur.

FIAT VOLVNTAS tua, sicut in cœlo & in terra.

O pater cœlestis, quemadmodum voluntas tua in angelis & cœlestibus ciuibus adimpletur, qui tibi vnanimes in tuo regno seruiunt, & voluntati tuæ perfecte obsequuntur: ita præsta, vt & tua voluntas in terra fiat: vt nos qui terrā incolimus, in regno tuo, quod inter nos est, tanquam obedientes filij, illorum imitatione, voluntati tuæ (quæ in tuorū præceptorum obseruatione sita & semper bona est, quando nostra voluntas, dum tuæ non conformatur, mala sit, & in malum procliuis) lubentes obtemperemus, vt exemplo dilecti filij tui Iesu, voluntati tuæ vsq; ad mortem obedientes simus, parati potius omnia pati, quàm à tua sancta voluntate discedere, vtq; omnia aduersa, quæ vel ob peccata no-

Matth. 18.

Lucæ 17

Ioannis 14

Matth. 5

Genesis 6

Philip. 2.

ſtra vindicanda & expianda, vel ad probatio
Hebræ. 12. nem noſtram nobis clementer immittis, pa-
tienter feramus, neq; fatigemur, dum abs te
arguimur, perſuaſi te diligere quos caſtigas,
& flagellare omnem filium, quem recipis, &
1. Corin. 2. omnes, qui volunt pie viuere in Chriſto filio
Matth. 10. tuo, crucem ferre, & aduerſa pati oportere,
1. Petri 1. vt tanquam aurum igne probati & defęcati,
in regnum tuum purificati transferantur.
Ne ſine, o Pater, nos filij tui ſuaue & lene iu-
gum excutere, qui ſuos diſcipulos eſſe poſſe
Matth. 11. negat eos, qui nolint crucem ſuã poſt illum
Matth. 10 portare, & cum ſequi, ſiue viuendum, ſiue mo
Lucæ 14. riendum ſit. Qui corde nõ percipiunt, quod
ille moriturus diſcipulis ſuis inculcauit: In
Ioan 16 mundo preſſuram habebitis, in me vero pa-
Ioan 5 cem. Et alibi: Qui verbum meum audit, &
credit ei, qui miſit me, habet vitam ęternam,
& in iudicium non venit, ſed tranſiet à mor-
te in vitam.

PANEM NOSTRVM quotidianum da nobis hodie.

O Pater cœleſtis, in quo viuimus, moue-
mur,

mur, & sumus, qui alis & pascis vniuersa animantia, quę sub cœlo sunt, da nobis filijs tuis, ad imaginem tuam conditis, quotidianū & necessarium panem, tam corporis, q̃ animæ. Da, non superflua, sed victui nostro ad quotidianum vsum necessaria, quę vere à te diuinitus dari, non humana sollicitudine vel industria parari, vel obuenire sentimus. Da (in quā) vt his sobrie refecti, tibi quiete & tranquille seruiamus, & gratias pro collatis beneficijs agamus. Et quia non in solo pane terrestri, sed & in omni verbo, quod procedit de ore tuo, viuit homo. Da quoq; panem diuini & cœlestis verbi tui, quo reficias & pascas animam nostram, quę sine eo prorsus famelica est, & contabescit. Da nobis hunc panem dulciorem super mel & fauum operari, in hoc exerceri & meditari die ac nocte. Da deniq; nobis panem supersubstantialem, carnem domini nostri Iesu Christi filij tui, vt solida fide manducantes hunc panem de cœlo missum, in eo maneamus, & ipse in nobis, vt per eum in nobis manentem, vitam habeamus æternam, sicut ipse dixit: Qui man-

Act. 7. Psalm. 103 Matth. 4. 6 Prouer. 30 Matth. 4 Psalmo 18 Ioan. 6 Matth. 6 Ioan. 6

ducat hunc panem, viuit in æternum.

ET DIMITTE NOBIS debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

O benigniſſime pater, cuius miſericordiæ
Ezech. 18 non eſt numerus, qui non vis mortem pecca
Iacobi 3 toris, ſed vt conuertatur, & viuat. Oramus
te, qui in multis deliquimus omnes, remitte
nobis peccata & debita noſtra, quæ vel com
mittendo in legem tuam, vel omittēdo quæ
Pſalm. 143 facere nos docuiſti, perpetrauimus. Et non
intres in iudicium cum ſeruis tuis, quia non
iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuēs.
Si enim dixerimus quia peccatum non habe
1. Ioan. 1 mus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis
non eſt. Si autem confeſſi fuerimus peccata
noſtra, fidelis & iuſtus es, qui nobis peccata
dimittas, modo & nos conſeruis noſtris ſua
delicta remittamus. Hanc enim viam obtinendæ remiſſionis filius tuus nobis oſtendit.
Ergo quia peccata noſtra confitemur, & ſcimus quia aduocatum habemus apud te, Ieſum Chriſtū iuſtum, qui eſt propitiatio pro

pec

peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Idcirco remitte quod peccauimus, siquidem & nos remittimus debitoribus nostris. Et quod nos ea ex parte nondum perfecte præstamus, tu fac vt præstemus, vt vbi senserimus nos vere & ex animo fratribus nostris sua delicta remisisse, hinc velut ex signo deprehendamus te quoque nostris delictis ignouisse.

ET NE NOS INDUcas in tentationem.

Licet, ô pater cœlestis, nos è regno Satanę in regnum dilectissimi filij tui transtuleris, non tamen ab hostibus nostris carne, mundo & diabolo nos plane securos fecisti: imo totam vitam nostram militiam esse voluisti, qua cũ illis perpetuo cõfligeremus. Qui & per filium tuũ Iesum arma potentia Deo & virtutem nobis suppeditasti, qua sub signis eius fideliter dimicãtes, oĩm hostiũ nostrorũ victores euadamus. Precamur itaque, non vt non tentemur (militãdum enĩ nobis est fortiter

Colloss. 1

Iob 7.

2. Cor. 10

titer

2. Petri 5 titer contra aduersarias potestates, mundi fal
lacias, & carnis illecebras, quamdiu sumus in
Galat. 5. hoc corporis tabernaculo, in quo caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem) sed ne permittas nos induci in
1. Cor. 10. tentationẽ, neve sinas nos in tentatione succumbere, vel superari: sed fac in tentatione prouentum.

SED LIBERA NOS a malo.

Libera nos a malis præsentibus, præteritis & futuris: & non modo ab his in quæ induci possumus, sed etiã in quæ inducti sumus. Libera, inquam, nos ab hæresibus, schismatis, pestilentia, clade, fame & bello, ab hostibus visibilibus & inuisibilibus, innumeris insidijs & insultibus. Breuiter ab oibus huius mundi & æternis malis, vt his omnibus tua virtute superatis, post hãc vitã miserã, vitã consequamur æternam. In Christo Iesu filio tuo dño
Coronis q̃ adijcitur in Græcis exemplarib. nostro. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula seculorum. AMEN.

ANGE-

ANGELICA
Salutatio.

AVE Maria, gratia plena, dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus uentris tui, Iesus Christus. Amen.

AVE MARIA.



QVIcunque fuerunt à seculo patres & prophetæ, te o Maria à longe salutantes, nasci desiderauerũt. Tu enim es illa mulier, quam Deus primis nostris Genesis 3. parentibus in miserrimam diaboli captiuitatem redactis, & mortis sententia obnoxijs, quandoque orituram repromisit, ad serpẽtem dicens: Inimicitias ponam inter te & inter mulierem, & semen tuum & semen mulieris. Tu illa virgo, de qua præcinuit Isaias: Ecce Isaię 7. virgo concipiet & pariet filium, & vocabit nomen eius Emanuel. Tu illa subtilis & nitida vir-

da virgula, de qua idem Propheta vaticinatus
Isaiæ 11. est, q germinaret florem, cui incumberet spi
Ambro. ser mone 36. ritus sanctus, dicens: Egredietur virga de ra
dice Iesse, & flos de radice eius ascendet, &
requiescet super illum spiritus domini. Tu il-
la mirabilis fœmina, de qua alius propheta
Hierem. 31. Hieremias prophetauit, dicēs: Quia creauit
dn̄s nouum super terrā, fœmina circundabit
virum, nempe eum, qui castissimis visceribus
tuis cōceptus, statim in te perfectus fuit Deus
& homo. Tu illa orientalis porta, ad orientē
respiciens de qua dominus apud Ezechielem
Ezech. 44 testatus est, q porta hæc clausa erit, & nō ape
rietur, & vir nō transibit per eam, eritq; clau
Danielis. 2 sa principi. Tu denique illa, é qua (vt Daniel
vir desideriorum, in spiritu vidit) præcisus est
lapis sine manibus, q factus est mons magnus
& impleuit totam terram. Et quis suffecerit
enumerare, quoties tu in Mose & prophetis
dulcissimis figuris adumbrata, & suauissime
salutata sis? Imò quid patres memoremus,
Lucæ 1. quando Deus ipse, misso archangelo suo Ga
briele, inaudita hactenus salutationis forma,
saluere te iussit, & quādo Archangelus quod
iussus

iussus erat, reuerentissime adimpleuit? Quan do quoque cognata tua Elizabeth repleta spi ritu sancto, indignam etiam se, quæ te præsen tem salutaret, agnouit? Quo magis nos mi- sellos, in humillimæ & honorificentissimæ sa lutationis vocē pio affectu prorumpere par est, quibus habitantibus in tenebris, & vm- bra mortis, ex te ortus est sol iustitiæ, Chri- stus Deus noster, qui soluens maledictionem dedit benedictionem, & confundens mortē donauit nobis vitam sempiternam.

Lucæ 1.
Esaiæ 9
Matth. 4.
Malach. 4.

AVE igitur, gaude & lętare, & dignare nos laudare & magnificare te virgo sacrata, quæ tuo partu gaudium intulisti vniuerso mūdo, vbi genitura nostra ex Eua, ærumnis, tristi- tia & dolore est plena. Aue (inquā) O MA RIA, Domina nostra, quam dominam vo- cari, tui germinis, dominatoris omnis terrę, fecit & impetrauit autoritas.

Genesis 3.
Chrisolog. sermo. 142
Maria Chal daice, Dña Latine.

GRATIA PLENA.

Merito te noua formula cū angelo salu- tamus, quę nusquam ante lecta est, nunquam ante cō- perta. Soli tibi hæc salutatio seruabatur. Be- ne enim sola gratia plena diceris, quæ sola gratiam

Ambro. in 1. cap. Lucæ

gratiam, quam nulla alia meruit, consecuta es, vt gratiæ replereris autore. Filius tuus solus gratia plenus est (vt omnis gratiæ fons) de cuius plenitudine omnes accipiunt. Tu sola gratia plena inter omnia vasa gratiæ, qbus ille gratiã suam influẽdo communicat. Nam quæ alijs singulis præstatur per partes, hæc simul tibi se totam infudit gratiæ plenitudo. Sicut enim pluuia in vellus descendit, sic cœlestis imber virgineum in vellus, omnes carnis nesciens passiones, placido se fudit illapsu, & tota diuinitatis vnda, bibulo se nostræ carnis celauit in vellere, donec per patibulũ crucis expressum, terris omnibus pluuiam salutis effunderet. Tu itaq; gratia plena, in qua vt in templo & ar[illegible] requieuit gloria Domini. Tu plena fide & charismatib9 spiritus sancti, quam semper excipimus cum de peccatis agitur. Præ cæteris enim tibi (quæ concipere & parere meruisti, quem nullum constat vel sensum vel affectum habuisse peccati) tanta vis gratię collata est, vt omni ex parte peccatum vinceres, quod omnes alij sancti se habere deplorant.

Ioannis 1.

Chrysolo. serm. 143

Hierony.

Psalmo 70

Chryso. sermo. 143

Augusti. de natura & gratia, c. 36

Cypri. sermone de ieiunio & tẽtationibus Christi

Tu

Tu igitur plurimum à cæteris differens, natura communicabas, non culpa.

DOMINVS TECVM.

En desideratissima virgo, tecum est dominus, qui ad te angelum suum miserat. Præcessit ergo nunciũ suum Deus, & qui ad te mittit angelum, apud te ab angelo inuenitur. Fuit quidem dominus cum Abraham, Isaac, Iacob, Mose, Iosua, Dauid, pijsq; omnibus, & salutatus est ab angelo Gedeon, eadẽ verborum formula, sed aliter tecum, q̃ cum illis. Gedeon elegit dominus, & fecit saluatorem Israelis de manu Madian. At tu non Israeli tantum, sed toti mundo ędidisti saluatorem, qui ex potestate Satanæ omne genus eripuit mortalium. Hunc tu virginali tuo vtero cõplexa, cœlo maior facta es, orbe latior. Nam Deum, quem mundus non capit, sola cepisti. Dominus tecum, cuius spiritus superuenit in te, cuius virtus obumbrauit tibi. Dominus tecum, non gratia tantum, sed & natura, qui in tua se clausit viscera, factus homo.

Chrysolô. serm. 143. — Iud. 6. — Chrysolô. serm 143 — Luc. 1.

BENEDICTA TV IN mulieribus.

Leguntur quidem (ó Domina) & aliæ fœminæ, quibus hoc laudis encomium in scripturis tributum est, sed valde impari (si ad te conferantur) ratione: imo quibus illud, ob hoc potius tributũ est, ꝙ tui typus fuerunt. Delbora & Baruch collaudantes Iahel sic al-
Iudith 5 loquũtur: Benedicta inter mulieres Iahel. Et
Iudith 15 summus sacerdos Ioachim, cũ vniuersis presbyteris suis, Iudith in hunc modum: Benedicta tu filia à domino, tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter, & confortatũ est cor tuum, eo ꝙ castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris, ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum. Istæ ergo benedictæ prædicantur. Illa quidem ꝙ Sisaram, hæc ꝙ Holofernem, homines, populi Dei hostes, occiderint. Sed quanto iustius est, nos te benedictã inter & super omnes mulieres predicare, quę nõ contra huiusmodi aliquẽ tyrannum, sed contra serpentem antiquum, qui totum orbem decipit,

cipit, viriliter dimicasti, & semen benedictum protulisti, quod caput illius contriuit. Tu igitur potius gloria Hierusalem diceris: nõ terrenę quidem illius, sed cœlestis. Tu lętitia & dulcedo nõ carnalis, sed spiritualis Israelis. Tu honorificentia, non populi tantum Iudaici, sed Ecclesiæ Dei, toto terrarum orbe diffusæ. Quia videlicet viriliter fecisti, eò ꝙ castitatem amaueris, & virum (sicut ipsa dixisti) nunquam cognoueris: virgo enim ante partum, virgo in partu, & virgo post partũ inuiolata permansisti: hoc munus gloriosum tu prima inter omnes fœminas Deo obtulisti. Et manus Domini confortauit te, vt lapsum infidelis Euæ, tu virgo fidelis tuo ministerio instaurares. Sicut eñi illa seducta est, vt effugeret Deum: Sic tu suasa es, vt obedires Deo, vt tu malæ seductæ virginis Euæ, virgo Maria fieres Aduocata. Et quemadmodum astrictum est morti genus humanũ per virginem, ita solueretur per virginem, æqua lance disposita virginalis inobediẽtiæ, per virginalem obedientiam. Sicut illa habens virum, inobediens, & sibi & vniuerso

Lucæ 1

Ambrosius
Gregorius.

Ireneus libro 5.

Maria aduocata filiorum Euæ.

 generi

Irene. lib. 3. cōtra hęreses, c. 33. generi humano, causa facta est mortis: sic tu habens prædestinatū virum, virgo tamē manens, obediens, & tibi & vniuerso generi humano causa fuisti salutis. Inobedientia Euæ per tuā obedientiā exclusa est, ad erigendum

Orig. in homil. super illud: Cum esset despō sata. iacentiū genus, q̊d per mulieris temerariam credulitatem fuerat ante deiectū. Benedicta

Chrysolo. serm. 140. tu in mulieribus. Quia in quibus Eua maledicta puniebat viscera: nūc in illis gaudet, honoratur, suspicit Maria benedicta. Beata er-

Lucæ 1. go quæ credidisti, quoniā in te perfecta sunt oīa, quæ dicta sunt tibi à Dn̄o. Et vere beata filia tu à Dn̄o (vt canit Ecclesia) quoniā per te fructū vitæ cōmunicauimus, vnde quoq; merito beatā te dicunt & dicent, q̄diu stabit orbis, oēs generationes (vt tu ipsa cecinisti) quia fecit tibi magna qui potens est.

ET BENEDICTVS FRVctus uentris tui, Iesus Christus.

Sic verbis archangeli subintulit Elizabeth cognata tua. Et nos cū illa te benedictā qui-

Lucæ 1. dem inter mulieres, sed in primis benedictū proclamamus fructū ventris tui, Iesum Christum,

stum. Tu benedicta participatione exuberãtis gratiæ: at ille benedictus, non participatione, sed vt autor gratiæ, & fons omnis benedictionis, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Tibi benedicimus congratulando: illum benedicimus adorando. Tu templum sanctum Dei, omni laude dignissima: ille Deus, sanctus sanctorum, adorandus per secula. Per hunc fructum ventris tui facta es stupendo miraculo Dei genitrix: facta es nobis vera Eua, hoc est, vita, seu mater viuentium per gratiam, quando illa prima Eua (quæ vocata est vita) mater extitit morientium per naturam. Per hunc fructum regina facta es castitatis & misericordiæ. Per hunc facta es nobis proxima post Deũ spes, Non cui salutis nostræ meritũ asscribamus: nam hic est Iesus filius tuus, sicut abs te (monente archangelo) appellatus est, quòd ipse solus sua virtute & merito saluum facit populum suũ à peccatis eorũ. Vocatus Christus, q̃a vnxit illũ Deus Spiritu sancto, oleo lętitię & exultatiõis prę participibus suis. De cuius plenitudine, & tu gratię exhuberantiã, & re-

Roman. 9.

Hieron. in cap. 1. ad Ephesios.

Chrysolo. serm. 140. Chrysolo. serm 143. Aug. ser. 2. de annunc. dom. ad Simon, & lib. n edit. c 25 & 26 Damasce. in εὐκατάνυκτοις carminibus

Lucæ 2
Lucæ 1
Hebræ. 1.
Act. 10
Ioannis 1

 liqui

liqui oẽs ſancti, ſinguli pro ſuo modulo & fidei menſura acceperunt. Sed te ſpem noſtram ideo vocamus, ꝙ qui conſciẽtia peccati terremur, & per noſipſos ne exaudiamur ob mala merita valde timemus, per tuam interceſſionem veniã delictoꝝ noſtrorũ apud deum obtinere ſperemus, & confidamus nos per te tuiſqꝫ precibꝰ & meritis releuari poſſe apud filium tuũ, qui te, vt electã præ oĩbus matrẽ, præ omnibus diligit, fructus ventris tui, IESVS CHRISTVS. AMEN.

Vi'e Aug. lib. 2. queſt. ſuper Exo. cap. 149. & lib. meditat. c. 35. & 36.

EX MISSA CHRYſoſtomi Appendix.

Vt vere dignũ & iuſtum eſt glorificare te deiparã & ſemper beatiſſimã & penitus incontaminatam matrẽ Dei noſtri, honoratiorem Cherubin, & glorioſiorẽ incomparabiliter Seraphin, quæ citra corruptionẽ Deum peperiſti, vere deiparã te magnificamus. Igitur Aue Maria, gratia plena, dñs tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quoniã ſaluatorẽ animaꝝ noſtrarum peperiſti, qui eſt benedictus in ſecula. AMEN.

DE-

DECEM

PRAECEPTA DEI,

in ueteri teſtamento in duabus tabulis lapideis per Moyſen data, & in nouo teſtamento explicata, & ad perfectionem adducta.

PRIMAE TABVLAE PRAECEPTA.

EGo ſum Dominus Deus tuus.
1 Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, ut adores illud.
2 Non aſſumes nomen Dei tui in uanum,
3 Memento ut diem Sabbati ſanctifices.

SECVNDAE TABVLAE PRAECEPTA.

4 Honora patrem & matrem tuã, ut ſis longæuus ſuper terram.
5 Non occides.

6 Non mœchaberis.
7 Non furtum facies.
8 Non loqueris contra proximũ tuum falſum teſtimonium.
9 Nõ cõcupiſces uxorẽ ꝓximi tui.
10 Non domũ, nõ agrũ, nõ ſeruũ, non ancillam, non bouẽ, non aſinum, & uniuerſa quæ illius ſunt.

Aug. lib. 2. quæſt. ſup Exodum.

Ita digerit & numerat Auguſtinus præcepta. Nec myſterio uacat, ꝙ prima tabula tria complectitur: quoniam hæc quæ ad Deum *pertinent, trinitatẽ uidentur inſinuare diligenter intuentibus.*

SVMMA DECALOGI.

HAEC DECEM PRAEcepta in Euangelio ſummantur in duobus.

CHRISTVS Marci xij. AVDI Iſrael. Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Et diliges dñm Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc eſt primũ mandatum.

Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proxi-

proximum tuum sicut teipsum. Quod sic exponitur, Matth. vij. Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. Et Tobiæ iiij. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

CHRISTVS Mat. xxij. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ.

PLENITVDO ergo legis est dilectio, Paulus Roma. xiij. Qui enim diligit proximum legem impleuit. Nam non adulterabis. Non occides. Non furaberis. Nō falsum testimonium dices. Non concupisces, & si quid est aliud mādatum in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur.

Proximus dicitur omnis homo, quod inter nos propinqui sumus secundum naturæ communicationem. Et Christus proximi offitio eum docet esse functum, qui cuicunque indigenti præstat beneficium uel auxilium, Lucæ 10. Euthymius in Lucam, cap. 10.

IMPLETIO DECALOGI VNDE PETENDA.

LEx per gratiam Spiritus Christi, non legis uel nostris uiribus impletur.

CHRISTVS Iohan.xv.Sine me nihil poteſtis facere.
Per legem enī cognitio peccati, Roma.iij.
Fructus autē ſpiritus Charitas, Galat.v. quæ non agit perperam, primo Corinth.xiij.

Paulus Rom.viij.Lex ſpiritus uitę, (*Id eſt, uis ſpiritus ſancti uiuificantis*) nos in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod impoſſibile erat legi ex ea parte qua imbecillis erat per carnem (*deſtitutam ſpiritū*) Deus miſſo filio ſuo (*aboleuit peccatum, deditq́; ſpiritum effingentem & aptantem nos, ut ſimus lubentes ad omnia bona, & abhorrentes ab omni malo,*) ut iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundnm carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. Paulus Galat.iij. Fructus ſpiritus eſt Charitas, gaudium, pax, patientia, lōganimitas, bonitas, benignitas, mā ſuetudo, fides, modeſtia, cōtinentia, caſtitas. Paulus Eph.ij. Dei enim factura ſumus, creati in Chriſto Ieſu ad opera bona quæ pręparauit deus ut in illis ambulemus.

FINIS

FINIS PRAECEPTI

Est Charitas, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta. primo Thim. prim.

Contemplatio ueritatis in solius Dei dilectione fundata est, boni mores in dilectione dei et proximi: in quibus duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. August. expositi epist. ad Galathas.

EXPLICATIO SINgulorum Præceptorum ex literis Euangelicis & Apostolicis.

Explicatio primi.



HRISTVS Mat.iiij. Vade Satana, scriptum est enim Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

CHRISTVS Ioan.iiij. Nos adoramus quod scimus. Spiritus est deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.

Paulus primo Corinth.iiij. Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

Summa

Idololatria crassa.

Summa præcepti est, ut non solum non adorentur Idola externa, tanq̃ dij, more Ethnico, sed & nequamcunq; creaturam amemus supra Deum. Nam quod quis supra Deum amat, hoc sibi Deum facit.

Spiritalis.

CHRISTVS Matth. sexto. Non potestis Deo seruire & Mammonæ.

Paulus Ephes. v. Omnis auarus, qui est Idolorum seruus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.

Paulus Philip. iij. Quorum Deus uẽter est, qui gloriantur in dedecore suo, qui terrena sapiunt.

Hæretici idololatræ.

Imprimis uero in hoc præceptum peccant Hæretici, qui Idola suarum opinionum adorant.

Vide Vincentiũ Lyrenensem, libro contra Profanas nouationes. August. de Vera relig. cap. vlt. Vide Conciliũ Niç. 7.

Ecclesia non adorat Sanctos, propter religionem (quæ hoc prohibet) sed honorat, propter imitationem. Honorat eos charitate, & non seruitute. Item ueneratur Saluatoris nostri, & Sanctorum eius Imagines, non vt deos, in quos spem salutis figat, sed vt monumenta quædam ad recordationem & memoriam.

EXPLI

EXPLICATIO SE-
cundi.

CHRISTVS Matt. v. Audistis quia dictum est antiquis: Non periurabis, Reddes autem Domino iuramenta tuo. Ego autem dico vobis: non iurare omnino, neque per cœlum, quia Thronus Dei est: neq; per terram, quia scabellum est pedum eius: neq; per Hierosolymam, quia ciuitas est magni regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo uester, est, est: non non: quod autem his abundatius est, à malo est.

Periurium

Otiosum iuramentũ seu usurpatio nomi Dei.

Paulus Philipp. ij. Dedit illi nomen quod est supra omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.

Legitimus usus nomi nis Dei.
Adoratio.

Collossā iij. Omnia quæcunq; facitis in verbo & in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo & patri per ipsum. Et primo Corint. x. Omnia in gloriam dei facite.

Inuocatio.

Gratiarum actio.
Glorifica tio.

Christus

Christus iurare prohibet in sermonibus quotidianis. Caeterum in rebus serijs & controuersis ad comprobandam & illustrandam ueritatem in quibus testimonio opus est ibi ut Apostolus ait:

Homines per maiorem se iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum, Hæbreo. sexto.

EXPLICATIO TERTII.

Sabbatum externum.

Hieron in epist. ad Galat. 6. 4.

Sabbati externi vicem in Ecclesia obtinet dies Dominicus, cuius mentio fit Apoc. pri. aliaque festa, ab Ecclesia instituta præsertim propter eos, qui magis seculo uacant quàm Deo, ut saltem his diebus populus conueniat ad publicum Ecclesiæ sacrificium (quā Missam vocamus) ad cōmunes preces, laudes, & gratiarum actiones, ad verbum Dei audiendum & pertractandū, proximoq; benefaciendum: hoc enī est sanctificare Sabbatum.

Sāctificare sabbatum.

CHRISTVS Mar. primo. Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum.

CHRI-

CHRISTVS Matth. xij. Itaq; licet Sabbatis benefacere.

Sabbatum internum.

Sabbatum internum est continua pax & gaudium in spiritu sancto.

Hæbreorum quarto: Itaq; relinquitur Sabbatismus populo dei. Qui enim ingressurus est in requiem eius, etiam ipse requiescet ab operibus suis.

Aug. lib. 2. quæst. sup. Exod. 172

Requiescet ab operibus carnis, & uacabit operibus Diuinis, quæ operabitur in fide per dilectionē, nam tum demum fiunt in requie, non si fiant seruili timore legis, qui tormentum habet, non requiem. Et hic Sabbatismus internus est & perpetuus, sanctis repositus.

EXPLICATIO QVARTI.

CHRISTVS Mar. vij. Deus dixit, Honora patrem tuum & matrem tuam. Et qui maledixerit patri uel matri morte moriať. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri uel matri, Donum quodcunq; ex me, tibi profuerit, & ultra non dimittitis eum quicquàm

facere

facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis.

Honor parẽtum quatuor complectitur.

Quo Christus declarat honorem parẽtum non tantum pertinere ad amorem, reuerentiam & obedientiam, sed & ad curam & alimentationem.

Paulus Ephes. vi. Filij obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim iustum est, honora patrem tuum & matrem tuam (quod est mandatum primum in promissione) vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram.

Patres spirituales. Potestates

Hoc quoq; præcepto mandatur ut obediatur Episcopis, Pastoribus & Magistris, qui sunt patres spirituales, 1. Corinth. 4. Et potestatibus superioribus, & quorum subsumus imperio: qui etiam patres uocantur. 4. Regum 5.

EXPLICATIO QVINTI.

CHRISTVS Matth. v. Dictum est antiquis, NON OCCIDES. Qui autem occiderit reus erit Iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit Iudicio. Qui autem dixerit fratri suo

ſuo Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit Fatue, reus erit gehēnnę ignis. Item, Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicū tuum. Ego autē dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite ijs, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.

Indignatio
Conuiciū.

Finis præcepti

1. Ioannis 3. Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.

Odium

Epheſ. 4. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Eſtote autem inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicē, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis.

EXPLICATIO SEXTI.

CHRISTVS Matth. x. Ne adulteres.

CHRISTVS Matth. v. Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.

Diuortium niſi ex vna cauſa permiſſum, & tum quoad thorū tantum. Vide Auguſt. de adulte. cō. libros.

D He-

Hebræor. xiij. Honorabile connubium in omnibus,& thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.

Honorabilior autem & beatior est uirginitas, si tamen mente & corpore seruetur. Et casta uiduitas seu cœlibatus a soluto primo matrimonio, q̃ secundæ nuptiæ. 1. Corinth 7.

1. Corinth. 6. Nolite errare, Neque fornicarij, neque adulteri regnum Dei possidebunt.

Immūditia Turpitudo Stultiloquium. Scurrilitas.

Ephesi. 5. Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas.

EXPLICATIO SEPTIMI.

CHRISTVS Marci 10. NE FVRERIS.

Auaritia. Rapina.

1. Corinth. 6. Neq; fures, neq; auari, neq; rapaces regnum Dei possidebunt.

Paulus Ephe. iiij. Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde

tribuat

tribuat necessitatem patienti.

Ad hoc præceptum quoq; pertinet prohibitio fœnoris & vsuræ, de qua Christus Lucæ vi. Mutuum date, nihil inde sperātes. Vsura.

EXPLICATIO OCTAVI.

CHRISTVS Matth. x. NE FALSVM TESTIMONIVM DIXERIS.

Lucæ iij. Nemini calumniam faciatis. Calumniā.

Roman. xiij. Deponētes mendaciū, loquimini vnusquisq; veritatē cum proximo suo. Mendaciū.

1. Petri 2. Deponite omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationem, & inuidias, & detractiones. Malitia. Dolus. Simulatio. Detractio.

EXPLICATIO NONI.

CHRISTVS Matth. 5. Audistis, q; a dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autē dico vobis, Quia omnis qui viderit mulierem, ad concupiscendā eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Concupiscentia mulieris.

Paulus 1. Corinth. 7. Melius est nubere, quàm vri.

Ambrosius *Sed necdum professo castitatem. Cui uero ob uotum non licet ducere uel nubere, ei sedulo orandus est Deus, ne contingat aduri.*

EXPLICATIO DECIMI.

CHRISTVS Matth. v. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Roman. vij. Peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiã nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.

CHRISTVS Matth. xv. De corde exeunt cogitationes malæ, &c. Hæ sunt quæ coinquinant hominem.

Cogitationes malæ.

Iacobi 1. Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.

Aug. ad Valeriũ comitem, lib. 1. cap. 18 *Concipit autem, ubi accedit delectatio uel consensus. Tentatio, cui resistitur, peccatum nõ est quod reum faciat.*

1. Timoth. vi. Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidã appetẽtes, errauerunt à fide, & inseruerũt se doloribus multis.

Chri-

CHRISTVS Matth. xix. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

SEPTEM SACRAmenta Ecclesiæ Catholicæ.

1. Sacramentum Baptismi.
2. Sacramentum Cõfirmationis.
3. Sacramentum Eucharistiæ.
4. Sacramentum Pœnitentiæ.
5. Sacramentum Ordinis.
6. Sacramentum Matrimonij.
7. Sacramentum Extremæ unctionis infirmorum.



SAcramentũ est inuisibilis gratiæ visibilis forma, seu signũ: quare in vnoquoq; sacramento duo sunt spectanda: SACRAMENTVM ipsum, hoc est, externum sacrum signum, influens oculis & auribus. RES sacramenti, diuina & spiritualis vis, quæ in administratione sacramentotum rite accipientibus, confertur. August. in Ioan. tract. 80. Idẽ in Psalmum 73.

DE SACRAMENTO Baptiſmi Dominus Ieſus ad ſanctos apoſtolos ſuos ait:

Matth. 26. DAta eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Docentes eos ſeruare omnia, quæcunq; mandaui uobis. Et ecce uobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi.

Et Marci 16. Euntes in mundum uniuerſum, prædicate euangelium omni creaturę. Qui crediderit et baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur.

SIGNVM externum, aqua. RES SACRAMENTI, ablutio oĩm peccatorũ, adoptio baptizati in filium Dei, & regeneratio in nouum hoiem per ſpiritũ ſanctũ. Sicut ſcriptũ eſt: Quicũq; in Chriſto Ieſu baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Galat. iij.

Ephe.

Ephesi. v. Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret: mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ.

Ecclesia ex traditione apostolorum baptizat paruulos, ad quos scit promissionẽ euangelij pertinere, ob sordes inhærentis peccati originalis, quæ nisi per baptismum ablui non possunt. Iuxta illud Ioannis iij. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest videre regnum Dei. Baptizat autem eos in fide Susceptorum, qui Ecclesiæ nomine pro eis abrenunciant, credunt, & spondent, sicut Christus respiciens fidẽ offerentium infantes vt tangeret, cõplexatus est eos: & imponens manus benedicebat illos. Lucę xviij. & Marci x.

Diony. Ecclesiast. hierarc. cap. 7 parte 3.

Orig. in ca 6. ad Rom.

Aug. ep. 25 & 107. & li. 2. de gratia Christi & peccatorum origine.

STIPVLATIO ET sponsio, quæ fiunt in Baptismo.

SACERDOS. Abrenuncias Satanæ? SVSCEPTORES nomine paruuli: Abrenuncio. SACER. Et omnibus operibus eius? SVSCEP. Abrenuncio. SACER.

Et omnibus pompis eius? SVS. Abrenuncio. SAC. Credis in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? SVSC. Credo. SAC. Credis & in Iesum Christũ, filium eius vnicum, dominum nostrum, natũ & passum? SVS. Credo. SAC. Credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionẽ, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam post mortem? SVS. Credo SAC. Vis baptizari? SVS. Volo.

Chrysosto. homil. 21. Tom. 4. Memorata sponsio tota vita rememoranda & semper meditanda erit, & ad omnem progressum & tentationẽ hoc verbum repetendum: Abrenuncio tibi Satana, & adiungor tibi Christe: & simul cũ hoc verbo crux fronti imprimenda est: sic enim non modo nullus hominum, sed nec ipse diabolus te lædere quicquam poterit.

1. Petri 3. Vos saluos fecit baptisma, non carnis depositio sordiũ, sed interrogatio bonæ conscientiæ in Deum. Id est, Effectus baptismi est, non ablutio sordium corporis, sed pactum bonæ conscientiæ erga Deum, seu

bona

bona conſciẽtia bene reſpondens apud Deum: ſentiens nimirum per ſpiritum adoptionis & renouationis emundantem conſcientiam ab operibus mortuis, ſe habere Deum pacatum, & pium patrem.

DE SACRAMENTO Confirmationis, legitur Act. 8.

CVM audiſſent Apoſtoli, qui erant Ieroſolymis, quod recepiſſet Samaria uerbum Dei, miſerunt ad eos Petrũ & Ioannem. Qui cum ueniſſent, orauerunt pro ipſis, ut acciperent ſpiritũ ſanctum. Nondum enim in quenquam illorum uenerat, ſed baptizati tantum erant, in nomine Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant ſpiritum ſanctum.

Item Act. 19. de Epheſijs: His auditis, baptizati ſunt in nomine Do-

mini Iesu. Et cum imposuisset manus illis Paulus, uenit spiritus sanctus super eos.

Administrant hoc sacramentũ in Ecclesia soli Episcopi, veluti Apostolorum in Ecclesia successores: quod in genere visibilium sacramentorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus.

Aug. lib. contra lite. Peti ca. 104. de bap. contra Donat. cap. 16.

SIGNVM eius externũ est impositio manuum episcopalium, & Chrisma, (q̃d loco visibilis descensionis spiritus sancti traditione apostolica surrogatũ est) per signũ crucis fronti impressum. RES sacramenti, Vngi spirituali unctione septiformis spiritus Dei.

Hiero. contra Lucife.

Si quæris, quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus Episcopi non accipiat spiritum sanctum, quem nos in vero baptismate tribui scimus. Disce hanc obseruationem ex ea autoritate descendere, quod post ascensum Domini spiritus sanctus ad apostolos descendit. In Baptismo datur ad purificationem & regenerationem: in Confirmatione datur ad robur, & virtutis augmentum.

Melchiades

DE

DE SACRAMENTO Corporis & Sanguinis Domini, legitur Matth. 26. Mar. 14. & Lu. 22.

COEnantibus eis, accepit Iesus panẽ, & benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait: Accipite & comedite. Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc oẽs. Hic est eñ sanguis meus Noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Et 1. Corin. 11. Dñs Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit et dixit: Accipite et manducate. Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradet̃. Hoc facite in meã commemorationem.

Similiter et calicem postq̃ cœnauit, dicens: Hic calix, Nouum Testamentum est in meo sanguine,

Hoc

Hoc facite quotiescunq; biberitis in meam commemorationem.

SIGNVM, species panis & vini, aqua mixti. RES SACRAMENTI, verũ corpus & sanguis Christi, quibus non indigne sumptis, Christo incorporamur, & oim sanctorum societati, quæ est Christi mysticũ corpus, adglutinamur, & ad mutuam charitatem alendam & colendam accendimur.

Aug. in 6. cap. Ioan.

In Cõcilio Constanti.

Ecclesia iudicat firmissime credendũ esse, & nullatenus dubitandum, integrum corpus Christi & sanguinem, tam in specie panis, q̃ sub specie vini, post consecrationẽ vere contineri: & Sacramentum, sumẽti illud sub vna tantum specie, secundum morem Ecclesiæ, proficere ad salutem.

Cyp. in ser. de cœna dñi

Aug. cõtra Faustũ lib. 20. cap. 13.

Panis noster & calix, certa consecratione & benedictione solenni (*Ecclesiæ tradita*) fit mysticus. Proinde quod nõ ita fit, quamuis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non Sacramentum religionis.

Aug. in sententijs Prosperi.

Et cum fideliter fatendum sit, ante consecrationem panem esse & vinum, quod natu

ra for

ra formauit; post consecrationem vero, carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit; visibilibus creaturis, virtute diuinorum verborum, secreta potestate, & ineffabili operatione, in substantiam inuisibilis corporis & sanguinis filij Dei transformatis, conuersis, & transelementatis. Idcirco in Ecclesia Catholica, semel sanctificatis, nulla deinceps manus iterum consecrans, præsumit accedere.

Eusebius Emissenus

Chryso & Theophyl.

Cyp. in sermo. de ablut. pedum

Et quia placuit spirituisancto, & vniuersę Ecclesiæ Dei, vt in honore tanti sacramenti, prius in os hominis Christiani Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi, nisi instans mortis periculum aliud postulet, ea de re Ecclesiastica lege sancitũ est, hoc venerabile sacramentum pro infirmis reseruandum esse, ne cum à nõ ieiuno sacerdote semper & ubiq; consecrari non possit, ęgrotus sine communionis viatico moriatur.

Aug. ad Ianuariam

c. presb. de Cõs. dist. 2.

Deniq; vniuersa Ecclesia Christũ in Eucharistia uere præsentem, & se exhibentem, supplex adorat. Et nemo carnem illam manducat, nisi prius adorauerit, intuens fide non

in ea

in ea quæ videntur, ſed in ipſum Chriſtum, pro nobis crucifixum, ſub ſpeciebus externis contentum, & opertum.

Quomodo ad Communionem accedendum ſit. 1. Corin. 11.

QVotieſcunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec ueniat. Itaq; quicunq; manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudiciũ ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

Ergo cũ timore & tremore accedendum

Communicaturi fidem habere imprimis debent verbis Domini dicentis: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meã

Baſilius in ſummis monaſtiũ, & in regula monachorum.

In meam commemorationem: & timorem concipere ex verbis Apostoli dicentis: Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi man ducat & bibit, &c. Deinde considerare magnificentiam gloriæ filij Dei, & admirari nimietatem humilitatis, quomodo tantus ac talis obediens fuit patri vsque ad mortem pro nostra vita: & hinc accendi ad affectum & dilectionem Dei patris, qui vnico filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & eo amplius ad amorem vnigeniti prouocari, quo eum vident mortem turpissimam pro nostra redemptione tolerasse. Et proinde cogitare, vt viuentes non amplius sibijpsis viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit, sicut Apostolus ait, quod charitas Dei vrget & impellit nos, iudicãtes illud, quod si vnus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes mortui fuerunt, & pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt posthac non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit, & expendant se in vsus proximorum, cum quibus fiunt vnum corpus in Christo, sicut scriptum est, Quod omnes

vnus

vnus panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus.

Eusebius Emissenus.

Cum reuerendum altare cibis spiritualibus satiandus ascēdis, sacrū Dei tui corpus & sanguinē fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maxime haustu interiori assume.

Chryso. homil. de Eucharistia in Encenijs.

Num (putas) vides panem? num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? Absit, ne sic cogites. Quemadmodū enim si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit, sic & hæc puta mysteria consumi, corporis substantia. Propter quod & accedens, ne putes ꝙ accipias diuinū corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphim forcipe ignem, quem Esaias vidit. Reputa salutarem sanguinem, quasi è diuino & impolluto latere effluere, & ita approximās labijs puris accipe.

mysteria. i. species panis & Vini

Augu. de eccle. dogma. ca. 53. & in Ioan. tract. 26.

Qui adhuc voluntatem habet peccandi, grauari magis dico Eucharistiæ perceptione, q̄ purificari. Qui vero peccandi de cætero voluntatem non habet, communicaturus satisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens

dens de Domini miseratione, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus. Sed hoc de illo dico, quẽ mortalia peccata non grauant. Quem vero talia grauant, nõ aliter communione dignum se facit, q̃ si errores pristinos relinquat, & pœnitentiam à præsidibus Ecclesiarum petat, vt qui criminum suorũ sorde pollutus est, exomologesis satisfactione mundetur. Aug. ser 57 de tẽpore.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Quo ei, qui post Baptismum deliquit, si pœniteat, & confiteatur peccata sua, remissio peccatorum per absolutionem Sacerdotis annunciatur.

DOminus Iesus ad sanctum Petrum ait Matth. 16. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit li-

gatum & in cœlis. Et quodcunque sol-
ueris super terram, erit solutum &
in cœlo.

Ioan 20. Quorum remiseritis pec
cata, remittuntur eis: & quorum re-
tinueritis, retenta sunt.

Chrysosto. *TRes partes pœnitentiæ post Ba-
ptismum: Contritio, Confessio,
Satisfactio.*

2. Corin. 7. CONTRITIO, est tristitia secundum
Deum, qua quis se peccasse grauiter dolet,
cum uoto vitæ in melius commutandæ.

CONFESSIO, (quæ Sacramentalis
appellatur) est amara & lachrymosa agnitio
& enarratio peccatorum, quæ conscientiam
Clemens. Basilius. grauant coram Deo, & (qui Dei legatione
& Ecclesiæ ministerio fungitur) sacerdote, sa
lubris consilij, spiritualisque remedij & abso-
Hieron. in Mat. ca. 16. lutionis in verbo Domini obtinendę gratia,
quam morbi cognitio necessario præcedere
debet.

SATISFACTIO propitiatoria pro
nostris

nostris & totius mũdi peccatis Christus est. 1.Ioan. 2
Satisfactio vero, quã Ecclesia ab his, qui post baptismũ in crimen relapsi sunt postulat, vindicta est, quã ex præscripto sacerdotis, velut spiritalis medici de nobis sumimus, commissis peccatis aduersa facientes, qua Deum, Christo mediãte, placamus, causas & reliquias peccatorum excindimus, pœnas peccatis nostris debitas, aut redimimus, aut mitigamus, & Ecclesiæ nostro malo exemplo lęsæ, contrario exemplo satisfacimus.

Cypr. epi. 2 lib. 4. & in ser. de lap.

Tertull. de pœniten.

1. Cor. 11

2.Corin.7. Quæ secundũ Deum tristitia est, pœnitentiã in salutẽ stabilem operatᷣ: seculi aũt tristitia mortem operatur. Ecce eñ hocipsum secundũ Deum contristari, quantã in uobis operatur solicitudinẽ, imo satisfactionẽ, imo indignationẽ, imo timorẽ, imo desideriũ, imo uindictã.

Pœnitentia ante Baptismum detestationem tantum, & odium vitæ prioris postulat: non etiam confessionẽ sacramentalem & satisfa-

Tertullia. Hierony.

 tisfa-

tisfactionem, sicut pœnitentia post baptismum, quæ est secunda post naufragium tabula.

Cyp. in ser. de eleemo. & in serm. de lot. ped. Vide Rup. Tuitiēs. in ca 4. Leui.

Et certè longe alia ratio est iustificationis hominis per baptismum, q̃ reconciliationis cum Deo, hominis lapsi post baptismum in crimina: quod ignorant, seu ignorare se simulant hæretici. Quo : infinitam hominum turbā hac tempestate miserere deceperunt, & decipere satagunt.

SIGNVM sacramēti Pœnitentiæ, verbalis absolutio, quā impēdit sacerdos: RES sacramenti, reconciliatio vere pœnitentis & confitētis erga Deum & Ecclesiam, per verbum Dei: cuius sacerdos minister & annunciator est.

Basilius.

Anima certificatur quód Deus dimiserit ipsi peccata, si contempletᷣ ipsum in affectu eius, qui dixit: Iniustitiam odio habui, & abominatus sum.

Bernar. de 4. modis orandi.

Si audito verbo absolutionis, iam surgis desiderio supernorum, si grabatum tollis, corpus videlicet à terrenis eleuans voluptatibus, vt iam nō feratur anima concupiscētijs eius: sed

sed magis ipsa, vt dignũ est, regat illud, & ferat quo nõ vult: si deniq; ambulas quæ retro sunt obliuiscens, & ad ea quę ante te sunt, extendẽs desiderio & proposito proficiẽdi curatum te non dubites.

DE SACRAMENTO Ordinis, Dominus Iesus ad discipulos suos, Ioan. 20. ait:

SIcut misit me pater, et ego mitto uos.

2. Corint. 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, et dedit nobis ministeriũ reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanq̃ Deo exhortante per nos.

Et Act. 13. scribit: Cum aũt sacrificarent Dño, ieiunarẽtq;, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam et Saulum in opus, ad quod accersiui eos. Cumq; ieiunassent et orassent, imposuissẽtq; illis manus, dimiserũt illos.

 Itẽ

Item Act. 14 Paulus & Barnabas cum constituissent per singulas Ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.

1. Timot. 4 Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum mearum.

Ambro. in cap 12. 1. ad Corint.

SIGNVM impositio manuum. RES SACRAMENTI, gratia, qua ratum fit ministerium: siue exhibeatur per dignum, siue indignum, quamdiu is ab Ecclesia recisus non est.

Augustinus lib. ij. cõtra epist. Parmeniani de Baptismo & Ordinatione loquens, ait: Vtrũq; sacramentũ est, & quadã consecratione vtrũq; homini datur: illud cum baptizat, istud cũ ordinat. Ideoq; in Catholica Ecclesia vtrũq; non licet iterare.

Sunt aũt in Ecclesia alij maiores, alij minores Ordines, oẽs numero septem: uidelicet Presbyterorum, Diaconorũ, Subdiaconorũ, Acoluthorũ, Lectorum, Exorcistarũ, & Ostiariorum.

DE

DE SACRAMENTO Matrimonij. Dominus Matth. 14. ad Pharisæos ait:

QVI fecit hominē ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ. Et erunt duo in carne una. Itaq; iam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.

Epheſ. 4. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuā, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Sacramentū hoc magnū eſt: ego aūt dico in Chriſto & Eccleſia. Veruntamē & uos ſinguli unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat.

1. Corint. 7. His qui matrimonio iuncti ſunt pręcipio, nō ego ſed Do

minus, uxorem a uiro nõ discedere: quod si discesserit manere innuptã, aut uiro suo reconciliari.

Aug. lib. de bon. cõiu.

SIGNVM, externa coniunctio sponsi & sponsæ in Christi noie. RES SACRAMENTI, indissolubilitas vinculi coniugalis (instar coniunctionis Christi & Ecclesię.)

Ex Concilio Meleuitano, ca. 17

sed ita maneant

Aug de bono coniug. cap. 7.

Placuit vt secundũ Euangelicã & Apostolicam disciplinã, neq; dimissus ab vxore, neq; dimissa à marito alteri iungant, aut sibimet reconcilient. Quod si contẽpserint, ad pœnitentiã redigant. Fœdus illud initum nuptiale cuiusdã SACRAMENTI res est, vt nec ipsa separatione irritum fiat. Et post pauca: Quem nõ faciat intentũ, quid sibi velit tanta firmitas vinculi cõiugalis? Quod nequaq̃ puto tantum valere potuisse, nisi alicuius rei maioris ex hac infirma mortalitate hominũ quoddam SACRAMENTVM adhiberetur, quod deserentibus hominibus, atq; id dissoluere cupientibus inconcussum illud maneret ad pœnam, nec tamen nisi in ciuitate Dei nostri talis est causa viri cum vxore.

Reuera

Reuera namq; reuera Mysteriū est & magnum Mysterium, relictis & desertis parentibus quæ tanta beneficia præstiterunt, adhęrere uirum illi quæ antea neq; uisa sit, neq; aliquid commercij cum illo habuerit. Magnum reuera Mysterium & ineffabilem quandam sapientiam habens in Christo quidem & Ecclesia, veruntamen non propter ipsum solum ita dictum est. Sed quid? vt vxorem scilicet tanquam propriam carnem foueat. Chrysost. cap. 5. ad Ephes.

DE SACRAMENTO extremæ Vnctionis infirmorum habetur Iacobi 5.

INfirmatur quis in uobis, inducat presbyteros Ecclesię, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.

Quod non est dubium de fidelibus egrotantibus accipi uel intelligi debere, & qa genus est SACRAMENTI, *ideo quibus reliqua Sacramenta negantur, concedi non potest.*

SIGNUM sacrum oleum infirmorum. RES SACRAMENTI, alleuiatio egroti si non semper in corpore, saltem in anima.

ISAGOGE
AD PLENIOREM cognitionem doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ.

VETERIS ET NOui Testamenti conuenientia.



Truncp suas habet promissiones, & præcepta. Et vt vetus in legem moralē, legem ceremonialem, & legem iudicialem distinguitur: Ita Nouum quoque his tribus continetur: Doctrina, Sacramentis, & Disciplina.

Aug in ps. 71.

Rursus conueniunt quoad pręcepta moralia,

ralia, quæ summantur in Decalogo, & vtro-
bique (excepto Sabbato, commutato in diem dominicum) eadem sunt, iuxta illud:

SI VIS AD VITAM INGREDI, SERVA MANDATA.

VETERIS ET NOVI *Testamenti discrimen.*

VEtus Testamentum est lex Dei extrinsecus scripta in tabulis: quæ per se terret quidem & condemnat, sed per se sine spiritu sancto non iustificat vel viuificat peccatorem. Habēs promissiones magis terrenas q̃ cœlestes, si literam spectemus. Et Ceremonias quæ sunt tantum vmbra seu figura futurorum bonorum, in quorum fide & spe iustificati sunt patres. Aug. de spiritu & lite cap. 25. Chry in c. 8. ad Heb. Aug. in ps. 72. & 33.

NOuum Testamentum est eadem lex Dei, intrinsecus scripta in cordibus, per spiritum sanctum, quo iustificantur peccatores, & viuificantur & pacificantur conscientiæ. Habens promissiones vitæ non terrenæ, sed cœlestis. Et sacramenta, quæ sunt signa, non futurorum, sed iam præsentium bono- 2. Cor. 3. Heb. 4.

bonorum, nobis in Christo exhibitorum.

Signa quidem, non tantum significantia, sed & sanctificantia, & conferentia, ad percipiendum idoneis quam significant saluificantem gratiam Dei.

Aug. cōtra Fau. lib. 19 c. 11. &c.

DOCTRINAE Noui Testamenti Summa.



AD TITVM iij. Apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiā saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abunde, per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem uitæ æternæ.

Item ad Titum secundo. Apparuit gratia Dei & saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiēs nos, vt abnegantes omnem impietatem & secularia desideria, sobrie, & iuste, & pie uiuamus in hoc seculo, expectantes

tes

tes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

Hæc doctrina adumbrata est in Veteri Testamento, in Nouo vero exhibita. Ephe.3. Colloss.2.

TRES VIRTVTES uocatæ Theologicæ, quibus diuinitus infusis hæc doctrina mentibus inscribitur.

1. Fides. 2. Spes. 3. Charitas. 1.Cor.13.
Maxima autem harũ est Charitas.

FIDES est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Id est, certitudo, & quasi certa possessio quædam, earum rerum quę non uidentur, & quas speramus. Heb.11.

SPES est expectatio futurorum bonorum, quæ non pudefit in electis, propter charitatem Dei diffusam in cordibus eorum, à qua nulla eos creatura diuellere poterit. Rom.5.8.

CHARI-

Aug. lib. 1. de doct. in Christian.

CHARITAS est dilectio qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, vel in Deo.

Fides, Spes, Charitas augescit meditatione Symboli apostolici, Orationis dominicę, Decem praeceptorum.

Sacramentorum pia participatione omnes pariter roborantur.

Aug. lib. 1. de doctri. Chri. c. 39.

Homo Fide, Spe, & Charitate subnixus, eaq; inconcusse retinens, non indiget scripturis nisi ad alios instruendos. Et qui omnem intellectum diuinarũ scripturarum ad ista tria se scit referre debere, ad tractationem illarum securus accedat.

Esaiæ 11.

SEPTEM DONA spiritus sancti, quibus gradatim ad perfectionem mens hominis Christiani adducitur.

1. Sapientia. 2. Intellectus. 3. Consilium. 4. Fortitudo. 5. Scientia. 6. Pietas. 7. Timor domini.

A Timore Domini gradatim ascenditur ad Sapientiam.

Aug. in ps. 7.

TIMOR Domini donum est spiritus sancti, quo Dominum Deum nostrum, vt pijssi-

piissimum patrem filiali affectu reueremur, anxie metuentes, ne quo modo eum offendamus, neve ab eius charitate qua nos diligit, vlla ex parte excidamus.

PIETAS est donum spiritus sancti, quo imbuimur ardenti & placido affectu rite & syncere colendi Deum, & bene volendi proximo, (etiam de nobis male merito) propter Deum. Ambro. de uoca. gent.

SCIENTIA est donum spiritus sancti, quo hoc cõsequimur, vt sciamus quid in hac vita desit nobis, & quomodo in hoc maligno seculo prudenter & sine offendiculo vitã nostram transigamus. Aug. lib. de ciu. Dei. 14 cap. 1.

FORTITVDO est donum spiritus sancti, quo roboramur, ne vel illecebris, vel aduersitatibus huius mundi à pietate abduci nos ullo modo patiamur, esurientes & sitientes iustitiam super omnia. Ambr. lib. Offi. 1. ca. 31. &.

CONSILIVM est donum spiritus sancti, quo docemur bene consulta & deliberata ratione expedite eligere (præsertim in rebus difficilibus) id quod nõ solum nobis, sed & proximo ad perpetuam salutem im- Greg. 1. Moralium.

primis

primis comodat, Deiq; gloriam q̃ maxime illustrat.

Lucæ 24. INTELLECTVS est donum spiritus sancti, quo rectam, ueram & catholicam intelligentiam diuinorum eloquiorum & mysteriorum assequimur.

August. in Mich. ca. 1. SAPIENTIA est donum spiritus sancti, quo imbuti animum à terrenis & temporalibus rebus subducentes, Dei cõtemplationi prorsus uacamus, dulcissimaq; quadam degustatione & delectatione summi boni in Deo acquiescimus.

OCTO *BEATITVDI*

nes, perficientes hominem: quas dona ista spiritus sancti in nobis efficiunt. Mathæi 5.

August. de ser. Dñi in mon. lib. 2.

Congruit timori. BEati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Pietati. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

Beati

Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Scientia

Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Fortitudinis

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Conſilia

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt. Intellectus

Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur. Sapientia

Beati qui perſequutionē patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Tanquam ad caput redit

TRIA OPERA QVIbus ſpiritualiter litatur & placetur Deo.

Ieiunium, Eleemoſyna, Oratio.

IEIVNIVM eſt temporaria à licitis cibis abſtinentia, non auerſione creaturæ Dei, quæ bona eſt, ſi cum gratiarum actione ſumatur, ſed cauſa affligendæ mortificandæque carnis, & humiliandæ ſeu defœcandæ

Vide Concil Gangr. 1. Timo 4.

Aug cōtra Fau lib. 30 cap 5.

animæ propter Deum ſuſcepta.

ELEEMOSYNA eſt munus ſeu beneficium, vel opera ſeu officium, miſerationis cauſa collatum in quemcunque hominem inopem propter Deum: maxime vero præſtitum egenti fratri propter Christum, in quo omnes inuicem membra ſumus.

Luc. 6 10.

Gala. 6.

ORATIO eſt eleuatio mentis ad Deum, ardenter & gemitibus inenarrabilibus per ſpiritum ſanctum excitatis, ab ipſo Deo fideliter petentis, quæ ſunt ſalutaria, per mediatorem Dei & hominũ Ieſum Chriſtum.

Auguſt.
Roman. 8.
Iaco. 1. & 4
Ioan. 14.
1. Timo. 2.

SEPTEM OPERA *miſericordiæ. Matth. 25.*

Paſcere eſurientem.
Potare ſitientem.
Colligere hoſpitem.
Operire nudum.
Viſitare infirmum.
Redimere ſeu ſolari captiuum.
Sepelire defunctum deſolatum. Tobiæ, 1.

CHRI-

CHRISTVS Matth. xxv. Quodcunque vni ex his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.

De reconciliando fratre offenso, ad quod obligatur offensor. Mat. 5.

SI offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens, offer munus tuum.

De remittenda offensa, ad quod tenetur offensus. Matthaei 5.

SI dimiseritis hoibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis, nec pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra.

CHRISTVS Marci xi. Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem: ut & pater vester qui in cœlis est dimittat vobis peccata uestra. Quod si vos non dimiseritis: nec pater vester qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.

SEPTEMPECCA-
ta capitalia, ad quæ omnium peccatorum species reducuntur.

Amb. in orōne 2. præparatoria ad Missam.

1. Superbia. 2. Inuidia. 3. Ira.
4. Acedia. 5. Auaritia. 6. Gula.
7. Luxuria seu Libido.

Ambro. in orōne præparatoria ad Missam.

SVPERBIA gignit Inobedientiā, Iactantiā, Hypocrisim, Contentionem, Pertinaciā, Discordiā, Nouitatis p̄sumptionem.

INVIDIA vero Odium, Susurrationem, Detractionem, Exultationem in aduersis proximi, Afflictionē in prosperis eius.

IRA suscitat Rixas, Cōtumelias, Clamorem, Indignationem, Tumorem mentis, Blasphemias.

ACEDIA seu Tristitia seculi generat Malitiam, Rācorem, Pusillanimitatem, Desperationem, Torporem circa præcepta, Vagationem mentis erga illicita.

AVARITIA procreat Proditiōem, Fraudem, Fallaciam, Periurium, Inquietudinem, Violentiam, Obdurationem, contra misericordiam.

GVLA

GVLA parturit Ineptam lętitiam, Stultiloquium, Scurrilitatē, Immūditiam, Sensus hebetudinem circa intelligentiam.

LVXVRIA seu Libido gignit Cęcitatem mentis, Inconsiderationem, Inconstantiam, Pręcipitationem, amorem seu Odium Dei, Affectum præsentis seculi, Horrorem vel desperationem futuri.

VIRTVTES CONtrariæ quibus uicia ista capitalia cum omni sua sobole expugnantur.

1. Humilitas. 2. Charitas. 3 Patientia. 4. Alacritas seu gaudiū spiritus. 5. Mundi contēptus. 6. Sobrietas. 7. Castitas.

QVATVOR VIRtutes officiales, quæ & Cardinales uocantur.

1. Prudentia. 2. Iustitia. 3. Fortitudo. 4. Temperantia. Ambro. in lib. Offici.

Officiales uocantur, quod ab his omnia vitæ communis officia secundum cuiusq; vocationem deriuentur.

PRVDENTIA in veri cognitione & perspicientia consistit.

IVSTITIA in societate humani generis colenda tuendaq;, tribuendo unicuiq; quod suum est.

FORTITVDO in robore animi, non deflectendo à vero & iusto.

TEMPERANTIA appetitum ratione cohibet, ut oia fiant ordine & modo.

CONSILIA EVANgelica.

PRIMVM & præcellens, perpetuam virginitatem corpore & mente seruare.

Vide Epipha cōtra Valesios.

CHRISTVS Math. xix. Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerūt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.

Cyp 1 ser. de natiuit. Domini.

Capere potest, qui non cogente necessitate, sed deliberato cōsilio propter Deum eligit Cœlibatum. Huic si postea obuiauerint tentamenta, & liberam mentem ad carnales reuocauerint appetitus, nō confidat

fidat in brachio carnis suæ, sed in Deo, qui in se confidentibus fortis adest, qui uicit mundum, & uictoriam suis promittit militibus. Et qui uictores sunt sui, cœlo uim inferunt, sicut scriptũ est, Regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti diripiunt illud. Matth. 11.

1. Corinth. 7. De virginibus præceptum Domini nõ habeo, consilium autem do tan quàm misericordiam consecutus à Deo, ut sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse &c. Et paulo post: Porro hæc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id (subaudi hortor) quod honestũ est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.

Ibidem. Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suę volũtatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit.

SECVNDVM: Post primas nuptias solutas, in casta viduitate permanere, eandem videlicet ob causam, vt eo liberius seruiatur Christo.

1. Corint. 7. Mulier alligata est legi, quanto tempore uir eius uiuit. Quod si dormie-

rit vir eius, liberata est à lege, cui autem vult nubat: tm̄ in Domino: Beatior autem erit, si sic permāserit, secundum meum cōsilium.

TERTIVM. Rerum seu bonorum secularium proprietatem relinquere, & se vitæ communi, vel solitariç, ad primitiuç Ecclesiæ exemplum, quo liberius seruiatur Deo, addicere. Vel facultates omnes abdicare, & in pauperes distribuere, & postea de Euangelij annuntiatione alijsve Ecclesiæ ministerijs viuere.

Vel deniq; (quod perfectissimum est) ne hoc quidem iure vti, hoc est, ne temporalia quidem ab his recipere, quibus spiritualia seminantur, sed suis manibus sibi ipsi victum suppeditare, citra ministerij neglectū, quemadmodum fecit Apostolus Paulus.

Actor. 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisq̄ eorum quç possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

CHRISTVS Math. xix. ad adolescentem (qui se omnia præcepta Decalogi à iuuentute custodisse respondet, & quid sibi adhuc

adhuc desit, quærit) Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in coelo, & veni sequere me.

CHRISTVS Matth. x. Nolite possidere aurum, neque argētum, neque pecuniam in zonis vestris. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque virgā: dignus enim est operarius cibo suo.

Paulus 1. Corint. 9. Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant, de Euangelio quoque viuere. Ego autem nullo horum vsus sum. Et post pauca: Quæ est ergo merces mea? vt Euangelium prędicans, sine sumptu ponam Euangelium.

Quatuor semper memoranda.

1. Dies obitus.
2. Dies extremi iudicij.
3. Damnatio æterni supplicij,
4. Beatitudo regni futuri.

Horū nemo indesinenter potest memi- Ambros. in orōne a p̄

F v nisse,

paratoria ad Missam

nisse, nisi qui ad vitam prædestinatus est æternam.

Ecclesiast. vij. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum nõ peccabis.

DE CEREMONIIS, RITIBVS, ET moribus Ecclesiæ Catholicæ.

De Sacramentis, quæ sunt diuinæ prorsus & summæ Cæremoniæ in Ecclesia, superius dictum est.

Epiphan. contra eos, qui se Apostolicos vocabant.



ÆRemonias, mores, & ritus per Ecclesiam Catholicam traditos & receptos, tametsi nõ scriptos, obseruari debere.

1. Corinth. 11. Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.

Ibidem,

Ibidem: Cætera cum venero, diſponam.

Ibidem: Si quis videtur eſſe contentioſus, nos talem conſuetudinem nõ habemus, neque Eccleſia Dei.

1. Corinth. 14. Omnia decenter, & ſecundum ordinem fiant in vobis.

2. Theſſal. 2. Fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.

ECCLESIA AD Orationem publicã, laudes diuinas, & gratiarum actiones ſe colligit.

Matth. 18. Iterum dico vobis, q̃a ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quãcunq; petierint, fiet illis à patre meo, q in cœlis eſt. Vbi em̃ ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorũ.

Ephe. 5. Impleamini Spiritu ſancto, loquẽtes vobiſmetipſis in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantãtes & pſallẽtes in cordibus veſtris dño, gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo & patri.

1. Ti

1. Timoth. 2. Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietã & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum corã ſaluatore noſtro Deo, q oẽs homines uult ſaluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire.

Epiſto. 59 *In his uerbis Auguſtinus intelligit eas obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarũ actiones, quas Eccleſia facit & frequentat in celebratione ſacramentorum in Miſſa. In Epiſt. ad Pauli.*

Ca. Etſi nõ freq. c. ſec. ex Conci. Agaten. de cõſe. diſt. 2.

In Con. Lateranen.

Eccleſia olim eos, qui in Paſcate, Pentecoſte, & Natali domini, non communicaſſent, ne inter Catholicos quidem habuit. Nunc vbi charitas Dei heu nimium refrixit, Eccleſiaſtica lege decretum eſt, vt omnis fidelis homo, omnia ſua peccata ſolus, ſaltem ſemel in anno, ſuo Parocho, aut illius permiſſione, alij idoneo & perito ſacerdoti confiteatur. Datamq; & acceptam pœnitentiæ ſatisfactionẽ adimpleat: & ad minimũ in Paſcate, Euchariſtiæ

tristiæ sacramentum sumat, nisi forsan ex consilio Parochi ob rationabilē causam aliquamtisper ab eiusmodi sumptione abstinendum putauerit. Hæc negligentem, dum viuit, ab Ecclesiæ conuentu, & mortuum ab Ecclesiastica sepultura arcendum esse.

Ecclesia quoq; decreuit, oēs fideles saltem die Dominico ad celebrationem Missarum conuenire, nec ante discedere debere, q̃ tota Missa benedictione & dimissione sacerdotis compleatur. c. missas & duobus seque. de cōs. distinct. I.

ECCLESIA FESTA *Sanctorum triplicem ob causam celebrat.*

VT mirabilia Dei, in Sanctis exhibita, collaudet, ipsumq; Deum in Sanctis suis celebret. Ecclesi. xiiij. Sapientiam Sanctorum narrent populi, & laudem eorū nunciet omnis Ecclesia. Lucæ I. Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est. I.

Huc spectat illud elegans Ecclesiæ canticum, in natalicijs Martyrum: Te mirabilem in Sanctis tuis

Rex

Rex regum collaudamus: tua opera Christe, tua miracula prædicamus. A quo quasi lucidissimo fonte, omne quod in Sanctis uirtutis est, emanauit. Tua quippe est uirtus & fortitudo plebis tuæ. Tu benedicendus, tu laudandus in illis.

2. Vt se ad imitationem huiusmodi operum & exemplorum accendat. Hebræ. xiij. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.

3. Vt communione meritorũ, & intercessionis sanctorũ apud Deũ adiuuet. 3. Reg. 15. propter Dauid dedit Abiæ dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, vt suscitaret filium eius post eum, & staret in Hierusalem, eo quod fecisset Dauid rectum in conspectu Domini, & non declinasset ab omnibus quę præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Ethęi.

4. Reg. 19. Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum.

2. Mach. 15 scribitur de Hieremia prophe-

tam

ta: Hic est fratrum amator, & populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Hieremias propheta Dei.

ECCLESIA PRO FIdelibus defunctis sacrificia offert, eleemosynas largitur, & orat.

2. Machabæ. 12. Quia hi qui cum pietate dormitionem acceperunt, optimam habent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

Vacare non potest, quod uniuersa pro defunctis Ecclesia supplicare consueuit. In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in scripturis ueteribus omnino legeretur, non parua hæc consuetudine claret autoritas: Vbi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Aug. lib. de cura p mortuis gerēda cap. 4.

Apostoli discipuli Saluatoris, in tremēdis vitalibusq; sacramentis memoriam eorum, qui fideliter obdormierunt, habendam esse dixerunt. Damasc. de his, qui in fide hinc migrant.

EC-

ECCLESIA DIFFInivit ex scripturis, esse Purgatorium ignem post mortem.

1. Corinth. 3. Vniuscuiusq; opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabit, & vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autẽ saluus erit, sic tamen quasi per ignem.

Hunc locum omnes Catholici patres de igne Purgatorio intelligunt, quo expiantur post mortem corporis animæ, quæ non satis defæcatæ ex hac uita in pœnitentia & fide decesserunt.

Vide inter alios Ambros. serm. 20. in Psal. 118. Augu. hom. 16. li. 50. hom. de Genes. contra Manic. li. 2. Theodor. Græcũ in illud Apost. Epiphani. lib. 3. to. 2.

ECCLESIA INDIcta ieiunia religiose obseruat.

INitio, Ex traditiõe Apostolica bis in hebdomada ieiunat. Græca quidẽ feria quarta, qua traditus est Christus, & feria sexta, qua crucifixus est. Latina vero feria sexta, in qua mortuus est Dominus, & Sabbato, quo quieuit in sepulchro. Non vt gratiam vel bene-

Tripar. li. 9. c.

fici-

neficium exhibeat ei, qui pro nobis passus est, sed vt confiteatũ eum passum esse pro peccatis nostris: ob quę ieiunio nos castigamus, vt pœnitentiã debitã peccatis effugiamus.

Ieiunat quoque quatuor anni temporibus, pro aeris temperie, & temporum tranquillitate: in Vere, Aestate, Autũno, & Hyeme, quatuor anni partibus Deo supplicans: quando etiam eliguntur & deputantur Clerici ad ministerium Ecclesiæ, ad imitationem Apostolorum, qui ieiunantes & orantes, vt Dominus idoneos operarios in vineam suã mitteret, electos ad ministerium, impositis manibus ordinabant.

Vi'e Rup. de diuinis offic. lib. 3.

Act. 13. 14. Matth 9 Lucæ 10

Præterea Festa Christi & Sanctorum, ieiunijs præuenit, vt abstinentiæ purificatione præmissa, dignior & capacior efficiatur spiritualium gaudiorum. Deinde, vt tali ieiunio admoneamur, oportere nos per multas tribulationes introire in regnum Dei: sanctorum, quoq; festiuitates celebranũ, exemplo.

Bernar. in serm. Vigi. S. Andreæ

Ecclesia vnam Quadragesimam, secundũ traditionem Apostolorum, ieiunat, vt ob admissa peccata se castigans, pœnam effugiat:

Hieron ad Marcelli. cõtra Montanum Chryso. in ser. de ieiunio, Tomo quinto.

G ut

vt carne cum concupiſcentijs crucifixa & mortificata, deinceps non peccet: vt deſęcata per ieiunium mente, quæ fideliter petit, accipiat: vt quæ accipit, retineat: vt expiatis animis, tendat ad Paſchalia digne colenda gaudia: vt decimas anni deo perſoluat: vt ſua parſimonia pauperes alat: vt Chriſtũ & patres, qui hunc ſacrum numerum ieiunio dicarunt, in meditatione verbi Dei (quo potiſſimum viuit homo, & non in pane ſolo) & dulcedinis vitæ cœleſtis (vbi nullus erit cibi corporalis vſus) aliorumq; ſecretorum, quæ hoc ieiunio ſignificantur, quantum poteſt imitetur. Deniq; vt quadam Domino compaſſionis ſocietate iungatur, non vt dominum lugeat, ſed vt diſpenſationis myſterium confiteatur, operamq; det, vt ſe ſalutari luctu curans, paſſionum illius particeps efficiatur.

Aug ſer. 63 de tempo.

Orig. hom. 10. ſuper Leuit.

Tertull. li. de reſurre. carnis.

Hylarius

Omnium indictorũ ieiuniorum diebus, Eccleſia occidentalis abſtinet à carnibus: nõ q̃ illas immundas eſſe credat, vt hęretici illi, de quibus vaticinatus eſt Paulus 1. Timo. 4. ſed edomandi corporis, & humiliandæ animæ gratia, ſicut Daniel ſe ieiunaſſe teſtatur.

In

Indiebus(inquit)illis,Ego Daniel lugebam, panem desiderabilem non comedi,& caro et vinum non introierunt in os meum.

ECCLESIA voluntarium & religiosum Monachismum amplectentē, & mouentem consilia Euangelica, tanq̃ genus vitę perfectioris, valde commendat. Infringentes votum (tametsi præstitum in adolescentia) damnat, quia priorem fidem(*castitatis*)irritam fecerunt. 1. Timoth. 5.

Epipha. li. 3 tomo 2. Conci. Calced. cap. 16

Tales ergo personas uult sine Christianorum communione manere, & nec in conuiuio cum Christianis communicare. Quibus quoque nisi reatū suū agnoscentibus & confitentibus, & illicitam coniunctionem deserentibus, misericordiam non impendit.

Conci. Carthag. 4. ca. 104. cui interfuit Augustinus.

ECCLESIA his, qui sese semel ministerio sacerdotij consecrarunt, postea vxorē ducere non permittit: qui successu temporis duarum vxorum mariti fuerunt, à capessendo sacerdotio submouet.

In cano. Apost. cap. 25

ECCLESIA cæremonijs vtitur, non q; in his externis (si desit spiritus) fiduciā reponi velit, sed vtitur veluti quibusdam visibilibus signis & stimulis religionis.

Signaculo & mysterio sanctæ CRVCIS omnia ecclesiastica perficit sacramenta, atq; adeo omnia ad vsum vitæ comparata sanctificat, eoq; præmisso ad omnes actus procedit. Ad omnem (inquit Tertullianus) progressum atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calciatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quocunque nos conuersatio exercet, frontem signaculo terimus.

Aug. serm. 281. de tempore

De cor. mi.

Consecrat oleum Cathecumenorũ, quo post abrenunciationem & exufflationẽ diaboli, & post exorcismos & catechismos baptizandum signat, primum in pectore, vt spiritus sanctus (qui oleo significatur) cor eius per fidem possideat. Deinde inter scapulas, vt fidem quam corde concipit, eodem adiuuante spiritu, operibus impleat.

Consecrat Chrisma, quo iam baptizatum vngit presbyter in vertice, quia caput nostrum Christus, cui baptizatus insitus est. Episcopus vero postea (quando confirmat baptizatum) in fronte, vt eum confessionis Domini sui nunquam pudeat.

Ambro. de his qui initiantur mysterijs c. 16

Conc. Laodic c. 46.

Imbu-

Imbuuntur etiã sacerdotum manus chrismate, vt spiritu sancto confortatæ, cœlestia sacramenta conficiant. Rupert. de de diui. off. libro 2.

Consecrat deniq; oleum infirmorũ, quo tis Dei misericordiam annunciat, & spiritus sancti medicinam promittit, & exhibet. Vide Damasc. lib. 4 cap. 10

Consecrat & baptisma, non modo precibus, sed & Chrismatis inunctione: quo intelligas non aquam esse quæ lauat animam, sed lauari eam potius à spiritu sancto, vt alios lauare spiritaliter possit. Hiero. contra Lucife.

Vbi tamen necessitatis articulus exclusevrit moram, non minus efficax est, ad inuocationem Trinitatis, aqua simplex, quàm sanctificata verbis solennibus. Vide Cyp. de Innocẽ.

Aspergit populum aqua, per inuocationem & verbum Dei, cum impressione crucis benedicta, die Dominico potissimum, vt admoneatur Baptismi, & sponsionis illic factæ, & initi cum Deo fœderis per Christum, in quo in nouitatem vitæ resurrexit, vtq; ea rememoratione renouetur spiritu mentis suæ, in pœnitentia veteris vitę, in baptismo depo sitæ.

Ex Decretis Alexandri I.

Sal quoq; porrigit consecratũ, vt meminerimus nos iniquitatum fœtoribus carere, & animos à vermibus (qui conscientiã rodũt) præmunire debere: & sermones & actus nostros in gratia salitos esse oportere.

In capite Ieiunij cineres capitibus imponit, vt nostram calamitatem nobis ad memoriam reuocet: quam cum inuexit Adam, audiuit: Quia cinis es, & in cinerem reuerteris.

Nec hæc tantum, sed & omnes creaturas, quibus (vt sacris signis & stimulis pietatis vtitur) præmissis exorcismis benedicit, vt significet, maledictionem peccato Adę mundo inuectam, ad nomen Domini inuocatum effugari, omnemq; creaturam per verbum Dei & orationem sanctificari.

Gene 3
1. Timo. 4.

Agit Processiones diebus Dominicis, antelatis crucis tropheo & vexillis, vt significet Christũ per crucem de diabolo triumphasse, & nos post Christum (per quem Deus victoriam nobis dedit) ambulare oportere, & vnicuique suam Crucem post Dominũ esse portandam.

Colloss. 2.
1 Corin. 15
Matth 10.
Lucæ 9.

Orat

Orat ad orientem, vnde cœlum surgit, vt memimerit orans se mentem vertere ad cœli terræq; conditorem. Cyprianus in oratio. Dñicam. Augustinus

Geniculatur, inclinans se mente & corpore summæ Maiestati, vt agnoscat orans cum fideli Abraham se puluerem & cinerem esse, & indignum qui cum summo Deo colloquatur. Sciens interim, quod oratio humiliantis se, nubes penetrat, & quod cor contritum Deus non despiciat. Tertull. ad Scapulam.

Tundit pectus, quo significat se arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum. Cyp. in oratio Domi. Aug. serm. 48 de tge.

Accendit in templis cereos & luminaria, vt admoneat Christum veram lucē, sui Euangelij splendore omnes tenebras dispulisse, in qua luce sit nobis perpetuo tenore inambulandum.

Spargit thimiama, seu thuris suffitum, vt intelligamus omnem carnalem concupiscentiam in nobis, (vt oratio nostra sicut incensum ad cœlum feratur) concremandam & mortificandā esse, & sic vitam instituendā, vt vbiq; simus bonus odor Dei, vt Paulus inqt. 2. Cor. 2.

Prudentius hymno in exequijs mortuorū.

Spargit aquam sacram, & thuris suffitum super sepulchra fidelium defunctorum, cum precibus, quo signo aperte testatur, flaccida ista in terram seminata corpora, quandoque refloritura.

Vtitur vestibus sacris in celebratione sacramentorum, quæ nobis Christi passionem & conuersationem repræsentant.

August. in serm. in dedicat. Bed in.ho. 2, Corin 5.

Dedicationem templorum celebrat, nec decentem & moderatum respuit ornatum, vt hinc admoneamur, nos esse templa Deo dicata, sicut scriptum est: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Proindeq; penetralia cordium nostrorū semper bonorū operū ornatibus decorāda, & quicqd in templis manufactis agitur, totum in nobis spiritali ædificatione complendum esse.

Diony. Ecclesiast. hierarch.

Clericos & Monachos tondet, vt significet ab eis vitā mundissimā, resectis oibus carnalibus desiderijs, requiri: illorumq; affectus & cogitationes, non in terrenis, sed cœlestibus rebus occupari & versari debere.

Hęc & huiusmodi quàmplurima alia sacra signa in Ecclesia visuntur, qbus non vt rebus inhæ-

inhærendum, ſed ut ſignis (per quę ad contemplandas res ſignatas prouocemur) utendum eſt.

Si quid tota die per orbem frequentat Eccleſia, hoc num ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſsimæ inſaniæ eſt. Au. ep. 117 ad Ianua.

DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.



HRISTVS ſancto Petro, & in Petro Eccleſiæ ſuę claues conceſſit: quarum una eſt Ordinis, altera Iuriſditionis.

Clauis Ordinis, eſt poteſtas adminiſtrandi uerbi & ſacramentorum.

Clauis Iuriſditionis, poteſtas conſtituendæ & retinendæ in Eccleſia diſciplinæ.

Vt autem Eccleſiæ vnitas & diſciplina cõſeruetur, Hierarchia ſeu ſacer Ordo in Eccleſia conſtitutus eſt, vt ſuperiores inſpicerent & quum res poſtulat corrigerẽt inferiores.

Multis Presbyteris vnus Episcopus in schismatis remedium præpositus est: Episcopis cuiusq; prouinciæ vnus Archiepiscopus, qui & Metropolitanus dicitur: Metropolitanis vero pluribus vnus Primas, inter quos omnes Pontifex Romanus veluti tenens legitima successione Cathedram sancti Petri Apostolorum principis, quem Christus singulariter ouili suo præfecit, & cui confirmationem fratrum imposuit, summus est, amplitudine iurisditionis & solicitudinis omnium ecclesiarum.

QVID SIT DISCIplina.

DIsciplina, est diligens & accurata procuratio obseruationis, doctrinæ, rituumq; & morum Ecclesiæ Catholicæ, quæ postulat seriam animaduersionem, sed spiritualem in rebelles.

PSAL. ij. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur dominus, & pereatis de via iusta.

PSALM. xlix. Peccatori autem dixit Deus

Deus, quare tu enarras iustitias meas? & assumis testamentum meum per os tuum? Tu autem odisti disciplinam & proiecisti sermones meos retrorsum.

DISCIPLINA VISITATIONE, Synodis, & Iurisditione Ecclesiastica exercetur.

DE VISITATIONE,

ACTOR. xv. Reuertentes visitemus fratres nostros, per vniuersas ciuitates in quibus prędicauimus uerbum Domini, quomodo se habeant.

Et Paulo post. Perambulabat autem Paulus Syriam & Ciliciam confirmans Ecclesias, Praecipiens custodire praecepta Apostolorum & Seniorum.

Actorum xvi. Cum autem pertransirent ciuitates, tradebant eis seruāda decreta, quae erant ordinata ab Apostolis & praesbyteris, qui erant Hierosolymis.

DE SYNODIS.

ACTORVM xv. Facta disceptatione

ne non modica ſtatuerunt ut aſcenderent Paulus & Barnabas & quidam alij ex illis, ad Apoſtolos & Presbyteros in Ieruſalem, ſuper hac quæſtione.

DE IVRISDITIONE *Eccleſiaſtica.*

NOn admittendos ad miniſterium, niſi qui per ſuos Epiſcopos prius explorati & ordinati fuerint.

1. Timoth. 3. Hi probentur primum, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.

1. Timotheo. 5. Manus cito nemini impoſueris, neq; communicaueris peccatis alienis.

1. Titum 1. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt quę deſunt corrigas, & cõſtituas p ciuitates Presbyteros ſicut & ego diſpoſui tibi.

PRÆSBYTEROS *criminoſos coram Epiſcopo accuſandos & conuincendos eſſe.*

1. TIMOTH. 5. Aduerſus præsbyterum

rum accusationem noli recipere, nisi sub duobus uel tribus testibus.

PVBLICE PECCANtes, publice arguendos, uitandos & castigandos esse.

1. Timo. 5 Pœnitētia ergo publica in vsum reuocanda est. 1. Corin. 5.

PECCANTES coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.
Scripsi vobis si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.

DE CORREPTIONE fraterna, ob priuatam offensam, quæ iudicium præcedere debet.

MATTH. xviij. Si pecauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium, stet omne verbū. Quod si te non audierit, dic Ecclesiæ.

DE

DE EXCOMMVnicatione.

SI autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.

2. Thessalon. 3. Si quis non obedierit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur, & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem.

1. Corinth. 5. Ego quidem absens corpore, pręsens autem spiritu. Iam iudicaui ut pręsens eum, qui sic operatus est. In nomine domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum uirtute Domini nostri Iesu Christi, tradere huiusmodi hominem Satanæ, in interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.

DE ABSOLVTIONE seu reconciliatione eorum, qui pœnitentiam egerunt.

CHRISTVS Matt. xviij. Amen dico vobis: Quæcunq; alligaueritis sup terram, erũt ligata & in cœlo, & quæcunq; sol-

ueritis

ueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.

PAVL. 2. Corinth. 2. Sufficit illi, qui eius modi est, obiurgatio hæc, quę fit à pluribus, ita ut econtrario magis donetis & consolemini, ne forte abundātiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est.

DE VITANDIS ET excommunicandis manifestis hæreticis & schismaticis.

TITVM 3. Hæreticum hominem post vnam aut alteram monitionem deuita. Subuersus est enim eiusmodi, & proprio iuditio condemnatus.

Habe fidem & bonam cōscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymeneus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare. 1. Timo. 1.

Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam ueritatem, & 1. Timo. 2.

resipis-

resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui te
nentur ad ipsius voluntatem.

VIGILANDVM NE irrepant Hæretici.

ACTOR. xx. Paulus à Mileto vocauit maiores natu Ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, & simul essent, ait ad eos: Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, nõ parcentes gregi. Et ex vobisiipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. Propter quod

VIGILATE.



CCLESIASTIcus Canon librorum Veteris Testamenti.

Pentateuchus, id ē, gnq; libri Moysi.
- Genesis.
- Exodus.
- Leuiticus
- Numeri.
- Deuteronomiū.

Pentateuchū sequuntur.
- Iosue.
- Liber Iudicū.
- Ruth.
- Regum libri q̄tuor.

Paralipomenō duo.
Esdræ duo. Nā duo posteriores inter apocrypha ponunt.
Tobias. Iudith.
Esther. Iob.
Liber Psalmorum.
Prouer. Salomonis.
Ecclesiastes.
Canticū Canticoꝝ.

Liber Sapientiæ.
Ecclesiasticus.

Quatuor Prophetæ Maiores.
- Isaias.
- Ieremias habēs annexum Baruch.
- Ezechiel.
- Daniel.

Duodecim Prophetę Minores
- Osee.
- Ioel.
- Amos.
- Abdias.
- Ionas.
- Micheas.
- Nahum.
- Habacuc.
- Sophonias.
- Aggeus.
- Zacharias.
- Malachias.

Machabeorum libri duo.

ECCLESIASTICVS

Canon librorum Noui Testamenti.

Quatuor Euāgelia.	Euangelium secundum Matthæū.
	Euangelium secundum Marcum.
	Euangelium secundum Lucam.
	Euangelium secūdum Ioannem.
	Acta Apostolorum.
Pauli Epistolę 14.	Ad Romanos.
	Ad Corinthios Duæ.
	Ad Galatas.
	Ad Ephesios.
	Ad Philippenses.
	Ad Collossenses.
	Ad Thessalonicenses Duæ.
	Ad Timotheum Duæ.
	Ad Titum.
	Ad Philemonem.
	Ad Hebræos.
Epistolę Canonicę septē.	Iacobi Epistola.
	Petri Epistolæ Duæ.
	Ioannis Fpistolæ Tres.
	Iudæ Epistola.

Apocalypsis Ioannis Euangelistæ.

Hunc

Hunc Canonem non a perfidis Iudæis, uel insanis Hæreticis, sed ab Ecclesia Catholica accepimus, ut testatur Concilium Carthaginense. 3. cui Diuus Augustinus interfuit. Et idem Augustinus libro 2. de doctrina Christiana capite. 8 Innocentius 1. ad Exuperium Tholosanũ, & Gelasius in Concilio 70. Episcoporum habito de scripturis apocryphis.

Hæretici nostri temporis graui & execrabili temeritate, à Canone scripturarum diuellunt & resecant libros infra memoratos.

Secundum Esdre, Thobiam, Iudith, Baruch, Sapientiam Salomonis, Librum Ecclesiasticum, Libros Machabęorum. Historias Susannæ & Bælis apud Danielem.

Hos omnes ut libros propheticæ autoritatis August. agnoscit. His Ecclesia Vtitur in sacris officijs.

Item Epistolas ad Hebręos, Iacobi, Secundam Petri, Secundam & tertiam Ioannis, Apocalypsim Ioannis, quas suis detrahũt autoribus.

Sed diligenter erudienda & admonenda est iuuentus ut autoritatem Ecclesiasticam velut sacrosanctam & inuiolabilem semper agnoscat, & hæreticam detestetur audaciam & insaniam.

SVMMA TOTIVS SACRÆ SCRIPTURÆ, librorum videlicet Veteris & Noui Testamenti.



DOcent nos libri Veteris Testamenti Deum illum (Spiritum inuisibilē & immensum) quem testantur post Noe & diluuium, imprimis agnouisse & coluisse Abrahā, Isaac, & Iacob, Hebræos, & illorum fidelem posteritatem, solum verū esse Deum, eumque omnipotentem & æternum. Qui uerbo suo, id est, per filium suum, in spiritu sancto cum quibus vnus est Deus, in comprehēsibili sapientia, propter bonitatem suam cœlum & terram, & quæ in eis sunt, creauit, à quo omnia sint facta, sine quo nihil quicq̄ fit: iustum & misericordem, quicq; omnia regat, gubernet, vegetet, alat, conseruet & operetur in oibus, secundum uoluntatem suam: cui non liceat dicere quare sic vel sic faciat.

Deus. Exod. 23. Genes. 6.

Vnus. Deut. 6. Genes. 17. Daniel 7. Psal. 101 Trinus in personis.

Creatio.

Psalm. 103.

Conseruatio rerum. Isaiæ 45.

HVNC DEVM creasse Adam primum

Creatio hominis.

num hominem, ad imaginem & similitudinem suam, dominumq; eum constituisse omnium creatorum in terra. Sed Adam ipsum inuidia & fraude diaboli, creatoris sui praecepto non parentem, sua inobedientia peccatū in hunc mundum inuexisse, tale tm̄q;, ut nos secundum carnē ab ipso (veluti infecta et corrupta radice) progeniti, natura filij irę, & ob id maledictioni, morti, damnationi, iugo & tyrannidi diaboli obnoxij nascamur, & inde ab adolescentia in malum proni simus.

Peccatum originale. Sapient. 2. Psalm. 50. 1. Esdrę. 3. Sapien. 12. Concupiscentia. Gene. 6. & Eccles 18.

Promissum autem & reuelatum à Deo patre semen illud benedictum (Iesum Christum filium eius saluatorem nostrum) ipsi Adae, Abrahę, Isaac, Iacob, Dauid, & reliquis patribus, qui à peccatis & tyrannide Diaboli (cui subijciebantur omnes homines per Adam) liberaret, & ad primaeuam imaginem, in qua Adam conditus fuit, in vera iustitia & sanctitate ad immortalitatem refingeret eos qui viua fide huic promissioni crederent, ipsiq; IESV CHRISTO fiderent, & per hanc fidem pollicitū spiritum regenerationis acciperent, liberationem hanc ab ipso, &

Promissus Messias. Causa incarnatiōis Christi. Isaiæ 9. Gene. 49.

per ipsum sperantes, & abolita morte per eum, vitam æternam in terra viuentium expectarent. Est autem hæc promissio sæpissime repetita in libris veteris testamenti, & exhibitio eius adumbrata, in memorabili illa liberatione populi Israel ex Aegypto, per mare rubrum & desertum, in columna ignis & nubis, in manu Mosi: & introductionem in terram repromissionis, fluētem lacte & melle, in manu Iosue filij Nun.

Decalogus

Ex. 19. 20.

Hier. 17.

Deut. 18. Hiere 31. Mich. 7.

INTEREA vero dum à patribus expectabatur promissa salus & liberatio, Legem scriptam in tabulis lapideis, datam fuisse à Deo per Mosen, vt per eam agnito peccato, & cordis humani malitia, ardentius sitirent homines Christi aduentum, & quærerēt saluatorē, qui ipsos à peccatis redimeret, & spiritu suo innouatos, suæque diuinæ uoluntati cōformatos, ad omne opus bonum apparatos & instructos redderet, quod sacrificia & hostiæ veteris legis nō præstabant, erant enim figuræ modo, ueræ oblationis Christi, qua peccata omnia obliteranda erant, & abolenda, cujus oblationis fiducia, patres saluati fuerunt.

Sacrificia veteris legis.

NOVI

NOVI autem Testamenti libris docemur, Christum illum promissum, & in libris Veteris Testamenti typis & sacrificijs adumbratum ac figuratum, (qui est natura filius Dei, consubstantialis patri, & super omnia Deus benedictus in secula) missum tandem fuisse à Deo patre. Qui ob id, vt olim Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob (propter repromissionem, nasciturі ex eorum semine Christi, ipsis factam) appellatus est: ita inde pater Domini nostri Iesu Christi, vocari voluit. Missum autem eo tempore, quod ipse cõstituerat apud se: eo (inquam) tempore, quo abundabat omnis iniqtas. Et incarnatum de spiritu sancto ex Maria virgine, adsumpta humanitate & suæ diuinitati in vnitate psonę coniuncta, nõ ob bona cuiusq̃ opera (nam omnes peccauerunt, & eguerunt gloria Dei) sed vt Deus verax, abundantes gratię suę diuitias, quas pmiserat, exhiberet: & secundum misericordiã suã saluos nos faceret.

Christi saluatoris aduentus. Iohan. 1. Roman 9. Lucæ. 1. Galata. 4. Ephes. 1. Roman. 5. Iohan. 1. Titum 3. Roman. 8.

Venisse vero Iesum Christum, vt verus agnus, & vera hostia pro mundi peccatis immolãda fieret, & nos à seruitute diaboli, cui

Christi officium. Esaiæ 53. Iohan. 1.

ob Hæreditarium vicium & propria peccata obnoxij eramus, liberaret, & pacem cum
1. Petri 1. Patre suo cœlesti nobis conciliaret, (ipse enim est pax nostra) lauando nos à peccatis nostris in sanguine suo: utque per ipsum in filios Dei adoptaremur & spiritui regenerationis
Roman. 8. accepto regeneraremur, cohæredesque eius efficeremur.

Ideoque ut singulare hoc & maximum Dei beneficium erga nos agnoscamus, & agni-
Roman. 5. Galat. 4. tum assequamur, effundere Deum Spiritum suum sanctum super nos, quo reuelat se nobis & inscribit legem suam in cordibus nostris, cuius dona sunt Fides, Spes, & Charitas.
Fides. Fides inquam qua pertrahimur à Patre ad filium, & per filium venimus ad patrem, quæ per Spiritum sanctum infunditur, quo signamur, sine quo neque credere possumus, Deum Patrem misisse Christum, neque Iesum, promissum esse Christum. Nullus enim (inquit Paulus) dicere potest Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Qui &
Charitas. diffundit in viscera nostra eam charitatem,
1. Cor. 13. quam describit Paulus Corinthijs, & testatur spiritui nostro quod simus filij Dei.

Præ

Præbetque insuper spem, quæ est certa vitæ æternæ expectatio, cuius idem ipse arrabo est & pignus, & alia spiritualia dona, de quibus Paulus ad Galat. vbi quoq; & alibi passim is tradit, quod non per quamlibet fidem, sed per hanc in Christum fidem (quæ spiritum pollicitationis accipit, & charitate imbuitur, & in adultis per charitatem operatur, & se charitatis operibus exerit, ad ea hominem mouens) iustificemur & sanctificemur, id est, quod Deus & pater Domini nostri Iesu Christi (q & pater noster dignatione effectus est) per ipsum & illius merito nos à peccatis absoluat, & per sacramentum Baptismatis abluat, emundet, & spiritu sancto sanctificet, innouet, & iustificet: nō modo adultos, sed & paruulos in fide Ecclesiæ.

Spes. Ephe. 2. Galat. 5. Iustificatio

Venisse deniq; Christū, vt per ipsum purificati, liberatiq; à peccatis, & iustificati, ipsique insiti, subministratione spiritus sui, voluntatem eius, operibus bonis (quę sunt dona & fructus spiritus eius) voluntarie sectātes, quæ carnis sunt abnegemus, sobrieq; iuste, & pie viuamus, ac libere seruiamus ei, in iustitia &

1. Corin 5. Ephesi. 5 Baptismus Sanctificatio. Sāctificatio Bona opera.

Certitudo vocationis

sanctitate omnibus diebus nostris, vt & per bona opera (quæ præparauit Deus, vt ambulemus in illis) vocationem & electionem nostram certam faciamus: quod is qui eiusmodi bona opera nõ habet, testetur se fidem in Christũ non habere, qualem ille in nobis requirit.

Christus magister noster. Matth. 23.

Ad eum itaque docemur accedere oportere nos, vt nõ modo doceat nos, sed & sui verbi factores efficiat. Est enim ipse vere magister noster: non talis, quales sunt qui extrinsecus tantum operando exhibent ministeriũ, sed cœlestis, efficax, docens opere & sermone: à quo Præceptore, miti & humili corde, discere oportet normam recte viuendi, patiendique pro iustitia, & virtutem insuper impetrare faciendi. Est præterea noster Episcopus & summus Pontifex, vnus propitiationis & conciliationis mediator Dei & hominum: qui nũc ad dexteram Dei patris sedet, nobis Aduocatus factus, orans interpellansque pro nobis, & impetrans quodcũque vel à patre, ipsius nomine, vel ab ipso, secundum eius voluntatem petierimus: si modo quod petimus accepturos nos esse crediderimus: sic enim promisit.

Pontifex. Hebr. 4. Mediator. 1. Ioan. 2. Aduocatus Roman. 8. Ioan. 14. Marci 11

Pro-

Proindeq; non desperandū nobis, si quando etiam à Baptismo peccauerimus: sed cum vera satisfactoria pœnitentia (ad quam nos initio statim suæ prædicationis, & subinde sæpe inuitat & incitat) cumq; fiducia accedendum esse ad thronum gratiæ eius, credētibus q̄ misericordiā consecuturi sumus. Nam ideo venit, vt peccatores sua gratia saluos faceret. Pœnitētia post baptismum. Hebræ. 4. Matth. 3. 1. Timot. 1

Postremo docemur, hunc esse Christum Iesum, qui Ecclesiam (cœtum fidelium toto orbe diffusum) sibi condidit, cuius ipse est caput, Sponsus, & Saluator: cui & spiritum sanctum, spiritū veritatis, vnitatis, & pacis, apud eam perpetuo manentē, & q̄bus agnosceret̄, sua tradidit sacramēta, gratiæ suæ, quæ his con ferēt nō indigne vtētib' certissima Symbola. Ecclesia. Ephes. 5. Doctrinæ veritas. Sacramēta

Qui & post completum numerum electorum, & post interfectum spiritu oris sui hominem peccati, è cœlis conspiciendus omnibus redibit, & sedebit in maiestate sua, omnes iudicaturus, & redditurus vnicuique propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum: dicturusq; est ijs, qui à dextris erunt (qui videlicet in hoc mundo fidem suā 1. Thess. 2. Antichristus. Matth. 25

bonis

Vita æterna. bonis operibus ornarint, & futura bona expectauerint,) Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Iis aũt qui à sinistris: Discedite

Ignis æternus. à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Tunc vero finis erit, cum regnum Deo & patri tradiderit,

1. Corin. 15 vt sit Deus omnia in omnibus.

Hæc vt cognoscamus bonitate Dei per spiritum eius sanctũ tradita sunt nobis sacra Biblia,

Bibliorum intellectus vnde petendus. quorum verus intellectus, non aliunde q̃ à Catholica Ecclesia (quæ sola habet Spiritũ sanctum) petẽdus est. Tradita sunt, inquam,

Ioan. 14. Vide Ireneum lib. 4 cap. 43. vt credamus & cognoscamus vnũ solum verum Deum, & quem misit Iesum Christum:

Ioan, 20. vtq; credentes, vitam habeamus in nomine eius.

1. Corint. 3 Galat. 1 Præter hoc fundamentum nemo aliud potest ponere: optatq; Paulus eum anathema esse, qui aliam fidem & salutem annunciauerit, q̃ per Iesum Christum: & euangelizauerit præter q̃ quod accepimus, & euangelizatum est nobis, etiamsi fuerit angelus de cœlo.

Roman. 11 Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso

sunt

sunt omnia: cui cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in secula seculorum. Amen.

IRENEVS LIBRO *Quarto, cap. 43. Sola Ecclesia recte intelligit Scripturas.*

EIS qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopali successione charisma veritatis certum, secũdum placitum patris, acceperunt. Reliquos vero qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ. Vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes. Aut rursus vt hypocritas, quæstus gratia, & vanæ gloriæ hoc operantes. Qui omnes decidunt A VERITATE.

EPIPHANIVS CON *tra hæreses, lib. 2. Tomo 1.*

TErmini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum tradi

Aduersus Melchisedecianos

traditiones, & scripturæ sanctæ, & successiones doctrinæ, & vndequaque veritas Dei munita est. Nemo ergo decipiatur nouis fabulis.

IDEM IN ANcorato.

OMNIS Hæresis mentitur, quæ non accepit Spiritum sanctum, secundum Traditionem Patrum in sancta DEI ECCLESIA,

PORTAE INFERI NON PRAEVALEBVNT ADVERSVS EAM.